# DE ANIMARUM IN POESI EPICA ET DRAMATICA ASCENSU

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM VRATISLAVIENSIUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

**HUBERTUS MENDE**
SILESIUS

DIE III MENSIS NOVEMBRIS ANNI MCMXIII HORA XI
DISSERET DOCTORANDUS
IN AULA MUSICA
DE SPECTRORUM APUD VETERES SUPERSTITIONE
DEINDE ERIT PROMOTIO



VRATISLAVIAE
TYPIS IMPRESSIT H. FLEISCHMANN
MCMXIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM PHILOSOPHORUM
RETTULIT

RICHARDUS FOERSTER

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE XXV CAL.
IUN. ANNI MCMXIII.

nR

PATRIS CARISSIMI MANIBUS

SACRUM

# Conspectus libelli:

Pag

Exordium . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1

**Caput I.**

Quomodo animarum ascensus apud poetas epicos, tragicos, comicos tractentur . . . . . . . . . . . . . . . . . . 3

**Caput II.**

De animarum ascensuum generibus

1. Quomodo poetae animarum ascensus adhibuerint . . . 89
   a. Qui homines appareant . . . . . . . . . . . . 89
   b. Quae umbrae personae agentes sint . . . . . . . 92
   c. Quae narratae . . . . . . . . . . . . . . . . 93
   d. Quae a poeta ipso narratae . . . . . . . . . . . 94
   e Quae continua oratione loquantur et quae intermittantur . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 94
   f. Quae non loquantur . . . . . . . . . . . . . . 96
2. Qui animarum ascensus obsecratione atque evocatione fiant et quae spectra sua sponte appareant . . . . 96
3. Quae larvae in somniis occurrant . . . . . . . . . . 98
4. Quae umbrae sua aut aliorum causa evadant . . . . 99
5. Quae larvae vigilantibus appareant . . . . . . . . . 100

Excursus I De necyiis et evocationibus . . . . . . . . . . 102

Excursus II De manibus consolandi causa apparentibus . . . 107

Excursus III De Eupolidis Demis . . . . . . . . . . . . . 109

Ex antiquissimis temporibus mortuorum animas post mortem vivere aut in Tartaro aut in campo Elysio omnes fere gentes credebant, quo factum est, ut spectrorum opinio ac larvarum cultus late longeque pervulgarentur. Ex hac superstitione multas res infernas in libros veterum scriptorum translatas esse consentaneum est, quarum principem locum et vivorum descensus (καταβάσεις) et manium ascensus occupant; illos tractavit accuratissime Ettigius [1]), hos, quomodo usurpati sint a poetis epicis, tragicis, comicis disquirere mihi propositum est [2]). Quod optime ita me facturum esse arbitratus sum, ut primum quidem exponerem, quomodo illi poetae animarum ascensus genere usi essent, deinde quae manium ascensus genera exstarent, tractarem. Atque primo capite de umbrarum ascensus forma agam: quomodo spectrum introducatur a poeta, quibus ex partibus manium ascensus compositus sit, qua de causa mostellum appareat, quid consilii poeta habeat vel quem in totius carminis epici vel fabulae

---

[1]) Acheruntica, Lpz. Studien 1891 p. 274 sqq.; in adnotatione paginae 295 brevissimam animarum ascensuum generum dispositionem fecit, quam equidem non sequor.

[2]) Ex poetis lyricis iisque scriptoribus, qui prosa oratione scripserunt, nonnullos — omnes, quos contuli locos, non attuli, cum postea animarum ascensus, ut sunt apud Graecorum et Romanorum poetas et scriptores, tractare in animo habeam — locos, ubi manes apparent, collegi et in adnotationibus adieci, quos aut ipse legendo investigavi aut ex hominum doctorum cum aliorum tum Rohdii opere illo clarissimo (Psyche, Tübingen 1907) et Denekeni scriptis (in Roscheri Lex. p. 2478 sqq.) cognovi.

compositione locum umbrae species occupet, quomodo poetarum priorum ascensus exempla posteriores imitati sint. Secundo capite animarum ascensus genera tractabo collectis iis umbris, quae aut sua sponte aut obsecratae ascendunt, quae personae aut agentes aut narratae prodeunt, aliasque.

Animarum ascensus exempla enumerans ordinem sequor chronologicum.

Quibus praemissis ad rem ipsam accedo.

# Caput I.

## Quomodo animarum ascensus apud poetas epicos, tragicos, comicos tractentur.

Patrocli anima apud **Homerum** (Ψ 57 sqq.) noctu Achilli apparens, quod a mortuorum umbris, cum inhumatus sit, in Tartarum pervenire prohibeatur, queritur; qua de causa amicum, ut quam celerrime se sepeliat, adhortatur; tum eum mox moriturum esse vaticinans orat, ut utriusque ossa in unam urnam condantur, eum ad memoriam pueritiae suae una actae reducens. Achilles amicum, cur venerit, interrogatum omnia se exsecuturum esse pollicetur et ut accedat propius, petens manus amplectendi causa porrigit; ille tamen fumi similis stridens[1]) evanescit. Achilles stupefactus surgit

---

[1]) Quam opinionem antiquissimam fuisse Ettigius (p. 276, 2) docet: *prorsus* inquit *consentit cum Iudaeis, quibus eadem vox de avium pipilanti et de umbrarum sono in usu est* Apud Graecos et Romanos huius opinionis exempla habemus in ω 9, ubi Mercurius procorum stridentes animas in Tartarum ducit; Ettigium autem fugit ille Homeri locus (λ 605 sqq.), quo Ulixes Herculem describens his verbis de umbris loquitur:

> ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς,
> πάντοσ' ἀτυζομένων.

Alia exempla sunt in Pythagorae εἰς Ἅιδου καταβάσει (Hieron. Rhod. frgm. XXII ed. Hiller in Satura phil. H. Sauppio oblata Berol. 1879 p. 106), ubi philosophus Hesiodi animam stridentem columnae aeneae vinculis adstrictam vidit; apud Lycophronem (v. 686 sq.), quo loco de Ulixis necyia dictum est:

> πήλας ἀκούσει κεῖθι πεμφίδων ὄπα
> λεπτὴν ἀμαυρᾶς μάστακος πρὸς φθέγμασιν,

lamentaturque sibi noctu Patroclum flentem occurrisse ac mandata dedisse, quibus verbis omnibus sociis maerorem excitat. Quam somnii speciem, cum in poetas posteros maximam vim habuerit, accurate contemplemur. Ac primum quidem quaeramus, quomodo poeta hoc spectrum introduxerit. Achilles, ubi omnia, quae in Patrocli funere opus sunt, praeparavit curisque stimulatus obdormivit, Patrocli umbram per somnium aspicit. Haec spectri introducendi ratio eo continetur, quod larva tamquam ex somniantis intimo animo prodit vel ei apparet, qui cogitat de mortuo spectrove ipso, in anxiis curis versatur, rem magni momenti deliberat. Quae ratio artificiosior rarius a sequentibus poetis adhibetur. Deinde autem, qua de causa mostellum ascendat, si quaerimus, Patroclum, ut terra condatur, postulare videmus. Prisca enim populi superstitio est hominum inhumatorum animas vagari neque prius in Tartarum pervenire posse, quam corpora sepulta sint, qua de causa etiam in litteris hanc opinionem expressam invenimus [1]). Tum quod consilium

---

apud Statium (Theb. II 50 sqq.), Plutarchum (περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων 567 E [III. p. 465 Bernard.]) Aridaeus quidam mortuus τριταῖος ubi revixit, [ut Er, Armeni filius, pugna caesus cum δωδεκαταῖος revixerit, quae interea viderit, narrat Plat. republ. X 614 B sqq.] Tartarum describens se nonnullas τετριγυίας ὑπὸ μνήμης καὶ ὀργῆς ὧν ἔπαθον δι᾽ αὐτάς animas vidisse narrat); apud Lucianum (Menipp. necyom. 11), ubi Menippum, qui cum Mithrobarzane mago in asphodeli pratum venit, circumvolant τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί; apud Philostratum imag. I 4 (t. II p. 300,17 ed. Kays.), qui Menoeci depingens mortem de stridenti anima eius loquitur; apud Claudianum (in Ruf. I 128 sqq.).

[1]) Multa huius rei exempla apud posteriores poetas et scriptores nobis praesto sunt, in quos cum hanc superstitionem tum Homerum magnam vim habuisse apertum est; apud Theopompum (frgm. 317 ed. Hunt), ubi Cillus, Pelopis auriga, ab eo in somnio, ut funere efferatur, petit; Lycophronem (v. 907 sq.), ubi Cassandra de Polypoetis sociis loquitur, qui ἄταφοι ἐν πέτραις αἰῶνα κωκύσουσιν; apud Ovidium (Met. XI 653 sqq.), ubi Ceycis umbra uxorem orat, ut lugeatur et (Fast. V 457 sqq.), ubi Remus a fratre modo necatus Faustulo et Accae apparet et, postquam narravit, quomodo interfectus sit, ab iis petit, ut hunc diem in posterum celebrent; apud Suetonium (Calig. 59), qui,

poeta Patrocli umbram fingens habuerit quemque locum in totius carminis compositione haec species occupet, quaeramus; quod diiudicare difficile est. Nam quamquam Achilles omnia, quae ad sepulturam necessaria sunt, iam antea parari iussit, noctu tamen Patroclus eadem petit. Achilles ipse, cur id petat, simulacrum interrogat; non liquet, qua de causa poeta hac specie usus sit, quoniam supervacanea videtur esse. Ettigius[1]) *neque* inquit *in eo puto iure offenderis, quod rogat Patroclus, ut sepeliatur, cum Achilles iam postridie eum sepulturus sit. Amici coniunctissimi anima cum apparet, ultimum vale dictura nonne consentaneum est rogare eam, ut misera condicione quam celerrime liberetur, licet Achilles omnia ad sepulturam praeparaverit?* In hoc colloquio maximum mihi quidem videtur esse ambos in eadem urna humari, nam Patroclus bis[2]) (v. 83 sq. et v. 91) hanc sepeliendi rationem postulat[3]) et post alia verba longius de hac re loquitur neque quisquam ultra mandat. Versus 97 sqq.

---

postquam Caligulae cadaver primo non rite in hortis sepultum, postea autem a sororibus terra conditum esse narravit, pergit: *Satis constat, prius quam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit*; apud Pausaniam (IX 38,5), qui narrat, cum Orchomeniorum ager ab Actaeonis larva vexaretur, oraculo Delphico consulto iussos esse Orchomenios illius reliquias terra condere. Similiter apud Homerum Elpenor (λ 72 sqq.) ab Ulixe petit ne se insepultum aut indeploratum esse patiatur, quod Vergilius (Aen. VI 337 sqq.) et Silius in necyia (XIII 457 sqq.) imitati sunt.

[1]) L. l. p. 267.

[2]) Hic forsitan quispiam opponat alterum locum, ubi de urna dictum est, interpolatum esse; at hoc reicio, nam Patroclus primum mandat, ut ambo una condantur, tum, qua de causa Achilles id facere iubeatur, exponit eum de amicitia commonefaciens, denique se propter hanc amicitiam id (sc. in eadem urna humari) petere dicit; sententiarum igitur ordo accurate servatus est, praeterea vocibus versus 84

. . . ὡς τράφομέν περ ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν

respondet versus 91 sententia:

ὡς δὲ καὶ ὀστέα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

[3]) Cf. Heyium (Der Traumglaube der Antike. Ein historischer Versuch I, München 1908 Progr. des Kgl. Realgymn. z. M.) p. 10.

ex λ (204 sqq.) sumpti sunt, quo loco Ulixes cum matre Anticlea loquitur; postquam mater, quae scire cupiverat filius, narravit et de morte sua dixit, Ulixes his verbis commotus eam ter amplecti vult, sed ter umbrae vel somni similis effugit imago (v. 204 sqq.), filius autem petit ut maneat, his versibus (v. 211 sq.):

ὄφρα καὶ εἰν 'Αΐδαο φίλας περὶ χεῖρε βαλόντε
ἀμφοτέρω κρυεροῖο τεταρπώμεσθα γόοιο.

Achilles tamen, postquam Patroclus locutus est, quaerit, cur venerit — quod, ut modo dixi, supervacaneum est — et orat ut accedat his verbis (Ψ v. 97 sq.):

ἀλλά μοι ἆσσον στῆθι· μίνυνθά περ ἀμφιβαλόντε
ἀλλήλους ὀλοοῖο τεταρπώμεσθα γόοιο.

Matris autem anima fumi similis aeque atque Patrocli umbra (Ψ v. 100) evanescit. — His rebus explanatis nunc nobis accurate, quibus ex partibus species ipsa composita sit, disserendum est, ut quasnam partes vel particulas posteri poetae Homerum imitantes adhibuerint, cognoscamus. Ac primum quidem noctis descriptionem habemus (v. 62 sq.):

εὖτε τὸν [Achillem] ὕπνος ἔμαρπτε λύων μελεδήματα θυμοῦ,
νήδυμος ἀμφιχυθείς.

Deinde Patrocli miseri animam advenire simpliciter dictum est (ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχή), tum spectri facies[1]) depingitur, larva, ut erat viva[2]), apparet et corporis magnitudo et oculi et vox et vestimenta exprimuntur his versibus (v. 66 sq.):

πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα
καὶ φωνήν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.

---

[1]) In omni fere manium ascensu figurae descriptio est, quam apud Iudaeos quoque habemus; nam Saulus Palaestinorum exercitu appropinquante perterritus Samuelem excitat per sagam (Sam. I 28), quae regi roganti, quidnam videat, se senem sericis vestitum aspicere respondet.

[2]) De umbrae ut vivae facie egit Radermacher, „Das Jenseits im Mythos der Hellenen“ Bonn 1903 p. 5 sqq.

Umbra supra caput adsistit[1]) et Achilli, quod amici immemor dormit, exprobrat eumque, ut quam celerrime se sepeliat, incitat; tum exponens unde veniat, se circum Tartari portas vagari dicit. Postquam dedit mandatum Achilli, ille respondens eum amplecti vult, umbra autem fumi similis evanescit. Achilles experrectus sibi amici plorantem lamentantemque animam occurrisse dicit. Ex hoc ascensu, quoscumque postera aetas composuit ascensus nati sunt; sequentes poetae formam paratam habent, reliquum est ut eam ornent, utut cuique placet, et adhibeant.

Nunc convertamus nos ad Tiresiae[2]) in λ (v. 22 sqq.) evocationem, ad quam omnes posteriorum carminum evocationes referendae sunt. A Circa (κ 488 sqq.) omnibus rebus, quae ad evocandum necessariae sint, cognitis Ulixes, quae iussus erat, exsequitur (λ v. 22 sqq.)[3]), foveam fodit, mel, vinum, aquam libat, farinam circa scrobem spargit, mortuos implorat se in Ithaca bovem Tiresiaeque nigram ovem sacrificaturum esse pollicitus, ovem et arietem mactat, quorum cruor in foveam manat, Plutonem ac Proserpinam advocans ense animas, ne prius sanguinem effusum bibant, quam Tiresias apparuerit, arcet. Primo Elpenoris insepulti anima advolat (v. 51 sqq.), qui Ulixi interroganti, quomodo mortuus sit, id narrat et ut humetur, petit; tum mater Anticlea apparet (v. 84 sqq.), quam filius, ne sanguinem bibat, impedit; denique Tiresias ascendens (v. 90 sqq.) postquam cruorem bibit, Ulixi redeundi viam indicat eique petenti matrem mittit, quacum colloquitur filius. Quae evo-

---

[1]) Ut etiam in Ipthimae specie (δ 795 sqq.), quam Minerva fingit et ad Penelopam sororem de filio sollicitam, ut illam consoletur, mittit, simulacrum supra Penelopae caput adsistit. Omnino haec imago simili modo composita est.

[2]) Tiresiam ex Minyade a Necyiae poeta sumptum esse Gerckius N. Jhb. XV, 1905 p. 326 demonstravit.

[3]) Kirchhoffium sequor, qui in Odysseae editione Berl. 1879 p. 221 sqq. versus κ 482 — λ 24 interpolatos esse et sententias versuum λ 25—50 imitari censet; similiter Wilamowitzius Hom. Unters. p. 144 sqq.

catio in eo ascensuum numero habenda est, qui causa quadam adventicia efficiuntur et introducuntur. De hac evocatione, quippe quam multi homines docti tractaverint, pauca dicam [1]). Elpenoris inhumati umbram ut sepeliatur, petentem ad Patrocli spectri exemplum fictam esse verisimile est. Omnino nonnulla ex Patrocli specie in necyiam fluxisse puto, velut accuratam umbrarum faciei descriptionem, quam invenimus in versibus 40 sq., ubi larvae cruenta arma ferentes circum Ulixem volant, et in vv. 606 sqq., ubi Hercules depingitur. Necyia praecipue in ceteras necromanteas maximam vim habuit.

In **Cyclicorum carminibus**, quippe quorum perpauca fragmenta exstent, duobus locis spectra commemorantur, in Nostis et in Iliade parva. Illo loco Achillis imago in litore ascendit super tumulo [2]), quod Proclus his verbis affert: τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀποπλεόντων Ἀχιλλέως εἴδωλον ἐπιφανὲν πειρᾶται διακωλύειν προλέγον τὰ συμβησόμενα. Hanc Achillis speciem [3]) omnes posteros poetas, qui eandem rem

[1]) De ceterorum poetarum necyiis et evocationibus breviter disserui in excursu primo.

[2]) Quod ex prisca populi superstitione repetendum putat Ettigius l. l. p. 298,5. — Hanc superstitionem etiam apud Platonem (Phaed. 81 C) habemus qui de anima nondum corporis admixtione plane liberata haec dicit: ἡ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ Ἅιδου, ὥσπερ λέγεται περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη, περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶντ[αι].

Quam animam mali hominis esse Plato contendit et vagari, dum cupiditatibus vinculisque corporis relaxata sit. Quam rem repetit Plato alio loco (Phaed. 108 B.)

[3]) De hac re copiose egit R. Foerster, Herm. XVII, 193 sqq. — Hoc loco de Achille Polyxenam flagitante narrationem adiungens, quam apud poetas vulgata sit, breviter disseram. Primo igitur in Nostis ascendit Achilles, tum apud Stesichorum, quem Simonides secutus est, larvam apparuisse Foerster l. l. p. 195 putat. Tum apud Sophoclem in Polyxena (fragm. 480 N²) Achillem evasisse e Tartaro testatur Apollodorus περὶ θεῶν in Stobaei ecl. I, 41, 50, quod infra tractabimus accuratius; in Euripidis

tractabant, imitatos esse manifestum est. Praeterea hunc ascensum in alia quoque spectra vim habuisse infra videbimus [1]).

In Iliade parva Achillis anima apparuit secundum Procli testimonium, apud quem haec scripta legimus: καὶ Νεοπτόλεμον Ὀδυσσεὺς ἐκ Σκύρου ἀγαγὼν τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός· καὶ Ἀχιλλεὺς αὐτῷ φαντάζεται [2]).

Sequentibus saeculis carmina epica poesi lyrica et iambica, quae magis magisque crescebat ac florebat, suppressa esse inter omnes constat; quamquam illa aetas a carminibus epicis non plane abhorrebat, tamen quae scripta sunt, aut perierunt aut carmina didactica et genealogica sunt ab hac quaestione aliena.

Ad Graecorum et Romanorum [3]) poetas tragicos et comicos transeamus et, quomodo animarum ascensu usi sint, disseramus. In tragoediarum genere cum non esset, *communis audaciae scaenam in horrendis regnis illis* [*Tartaro*] *ponere difficilisque inter ridiculum et sublime modum tenendi labor* [4]), plures manium ascensus et evocationes habemus.

---

Hecuba Achillem super tumulo se ostendisse Polydorus dicit (v. 37 sqq.) et chorus (v. 109 sq.) idem censet. In Accii Troadibus (frgm. II et inc. inc. fab. XXXVIII) Achillem ipsum in scaenam prodiisse Ribbeckius (Röm. Trag. im Zeitalter der Rep. p. 417 sq.) putat. — Ovidius quoque (Met. XIII 440 sqq.) Achillis spectrum commemorat. — In Senecae Troadibus (v. 168 sqq.) Talthybius, quomodo Achillis larva escenderit, narrat; apud Quintum Smyrnaeum, (XIV 179 sqq.) Achilles Neoptolomo per somnium visus, ut sibi Polyxenam mactent, mandat.

[1]) In Nostis Agamemnonis quoque necyiam fuisse, ad quam Polygnotus in necyia depingenda respexerit, verisimile est (Paus. X 28 sqq.); cf. Dümmlerum Kl. Schriften II, 382 ff. [Rhein. Mus. N.F. XLV. 178 ff.], Wilamowitzium Hom. Unters. 147 ff., Ettigium l. l. p. 278 sqq.) C. Robertum, Beschreib. der Gemälde des Polygnotos v. Thasos in der Lesche zu Delphi 1888 p. 11 sqq., Schreiberum, Die Wandbilder des Polygnot . . Abhdl. d. phil.-hist. Klasse d. sächs. Ges. d. Wiss. 1897, XVII. Bd. 6. Heft. p 57 sq.

[2]) Apollodorus (Epit. 5, 11 ed. Wagner) hanc rem non commemorat.

[3]) Qua de causa hos hoc loco tractem ab ordine chronologico recedens, vide infra p. 22.

[4]) Ettigius p. 291.

Difficilis vero erat animarum ascensus, qui in somniis fiunt, fingendi et in scaenam proferendi potestas; saepius igitur larvae, quae per somnia apparent, narrantur. Diversa, ut est consentaneum, indole sunt tragoediarum spectra, quibus et prodeundi in scaenam et loquendi atque agendi ratione audientium animi movendi et concutiendi sunt. Umbrarum, quae plerumque prologi enarrandi causa evadunt ex Orco, proprium est dicere, quae sint undeque veniant, quod apud epicos habemus; (unde veniat, iam Patroclus dicit [Ψ v. 72 sqq.])[1]); omnino animarum ascensus genus e carminibus epicis, ex libris Ψ et λ ac Nostis fluxisse videbimus. Ascensus tragici maiestas fieri non potuit quin in ridiculum converteretur a comicis[2]), qui evocationes libenter adhibuerunt. Sed in comicorum fabulis non multa insunt, quae huc faciant. Quibus praemissis inspiciamus singula.

**Aeschylus** primus manium ascensus exhibet, qui quomodo quantumque spectantium animos movere potuerit, Darei in Persis evocatione demonstratur. Nam postquam accuratissimae praeparationes et longum carmen magicum spectantium vel legentium motus excitaverunt, perturbatio ac terror chori, qui regem super tumulo apparentem intueri non audet et sublimem maiestatem eius veretur, spectri formidinem valde auget. — Atossa choro somnium narrat (v. 176 sqq.), in quo Xerxem vidit, qui duas feminas curriculo adiunxerat, quarum altera temone rupto curruque everso Xerxem eicit; tum Dareus apparet filiumque in solo iacentem miseratur, Xerxes autem patrem aspiciens vestimentum conscindit. Chorus Atossam, ut et deos imploret (v. 215 sqq.) et inferis sacrificans maritum filium tueri iubeat, admonet[3]). Quod som-

[1]) Vide supra p. 7.

[2]) De descensu qualis apud comicos fuerit egit Ettigius l. l. p. 296 sqq.

[3]) Atossa iam dudum filio metuens hoc somnio et auspicio, quod mane domo exiens vidit, non minus quam et chorus et spectatores terrore et timore afficiuntur; cf. R. Staehlinum, Das Motiv der Mantik im antiken Drama, Relig. wiss. Versuche u. Vorarbeiten Giessen 1912, XII. p. 7; Richterum, Zur Dramaturgie des Aeschylus Lpz. 1892, p. 89, Wilamowitzium, Hermes 32, 386, Heyium, l. l. p. 21.

nium unde sumptum sit, demonstrari non potest[1]), sed eo quod poeta de spectro dicit παρίσταται eiusque animi motum voce οἰκτείρων describit, ad usitatas in larvarum ascensu locutiones revocamur[2]). Aeschylus hoc somnium prodigii causa[3]) adhibuit, nam brevi post nuntius Persarum cladem narrat[4]). Qua re territa et inops consilii Atossa Dareum ex inferis elicere constituit[5]) (v. 598 sqq.) choroque mandat ut quae ad evocationem necessaria sint, lac, mel, aquam, vinum, olivas, serta libet manibus et carmine magico regis larvam citet. Dum chorus carmen cantat, Tartari deos, Tellurem, Mercurium, Plutonem advocat, Dareum orat, ut super tumulo veste regia indutus ascendat, Atossa sacrificat libatque. Caligine Stygia senes circumfunduntur, qui ad apparentis umbrae pedes procumbunt. Dareus se preces obsecrationesque audivisse dicit et, quid cupiant, quaerit (v. 681 sqq.). Illi respondere non audent. Iterum a rege moniti, ut loquantur, se res adversas narrare non audere dicunt. Tum Dareus reginam alloquitur, quae Persarum cladem ei nuntiat. In sequenti colloquio larva Atossae exponit, quomodo Xerxes Hellespontum transgressus sit, et tum demum Persas tranquille et feliciter victuros esse indicat, cum Graecis bellum inferre desierint. Pugnae Salaminiae exitum vaticinatus, senes, ut fortuna et vita fruantur, hortatus, Atossae vale dicens evanescit. Chorus et Atossa (v. 843 sqq.), quid sibi mali acciderit, queruntur. Longo carmine senes Darei regnum atque imperium celebrant. Qua evocatione in fabulis, quae ad nos pervenerunt, nulla longior aut accuratior inveniri potest. Aeschylum ab Homero pendere manifestum est, evocationis praeparationes pares sunt apud eos, sed nova

---

[1]) Utrum hoc somnium in Phrynichi Phoenissis exstiterit necne, disserernnt Gruppius (Ariadne p. 628) et Staehlinus l. l. p. 11.

[2]) Locutionem παρίσταται non semel Nonnus usurpavit in umbris apparentibus.

[3]) Quod etiam Wilamowitzius l. l. affert.

[4]) Praeterea hoc somnio poeta ad Darei evocationem transit.

[5]) De hac scaena vide etiam Richterum l. l. p. 95 sqq.

res est longum carmen magicum, cum apud Homerum Ulixes nihil nisi hoc dicat: πολλὰ δὲ γουνούμην νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα (λ v. 29 sqq.). Apte a poeta evocatio ficta est et naturae humanae respondet, quod uxor tanta calamitate afflicta maritum adit ab eoque auxilium petit. Quo consilio Aeschylus hanc umbram introduxerit, quaerentes eum hoc modo vim dramaticam valde auxisse audientiumque animos percussisse videmus; praeterea Dareus ut deus ex machina apparet et Graeciam a Persis nunquam subactum iri vaticinans adhibetur a poeta ad Graeciam celebrandam. Staehlinus[1]) Dareum ex inferis egressum antiquorum oraculorum reminisci dicit, quae de Hellesponti transitu et Xerxis expeditione erant; quae oracula ut proferret, Aeschylum Darei ascensum finxisse[2]). Praeterea Staehlinus[3]) Dareum nuntii loco a poeta fictum esse affert, qui pugnam ad Plataeas factam narraret exponeretque. Umbra super tumulo apparet, quod ex Nostis[4]) sumpsisse videtur Aeschylus et quod vulgari superstitione receptum erat. Umbrae facies describitur chori versibus (v. 660 sqq.):

κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων,
βασιλείου τιάρας
φάλαρον πιφαύσκων.

Haec quoque larva unde veniat dicit: se ex Tartaro venisse, quamvis difficile sit inde ascendere (v. 688 sqq.). Ceterum haec tota larvae compositio ut tragica differt ab epicorum mostellis.

In Septem (v. 709 sqq.) fabula Eteocles patris exsecrationes evenire animadvertit, nam noctu sibi simulacra apparuisse. Quae quamquam φαντάσματα Aeschylus accuratius non exponit — qua re spectatorum animi magis moventur[5]) —, patris tamen spectrum Eteocli occurrisse puto, et quia

---

[1]) L. l. p. 8 sqq. et adnot. 3.

[2]) Hanc sententiam iam Welcker, Kl. Schrift. IV p. 168, Wecklinus Burs. Jhrb. XVII p. 84, XLVI p. 227, Schiller in Pers. edit. p. 16, Richter l. l. p. 99 protulerant.

[3]) L. l. p. 9 sq.

[4]) Cf. supra p. 8.

[5]) Cf. Staehlinum l. l. p. 22, Richterum l. l. p. 85 sqq.

de patris exsecrationibus loquitur Eteocles et quia, ut saepius infra videbimus [1]) βιαιοθανάτων umbrae apparent et res adversas vaticinantur.

Io in erroribus ad Prometheum pervenit et se ab Argi umbra vexari narrat, a quo ex Tartaro egresso per terras pellatur et sollicitetur (Prom. v. 566 sqq.)[2]) Larvas eorum, qui per vim necati sunt, vagari neque aut ipsas requiescere aut interfectoribus quietem unquam dare saepe invenimus. Hoc loco visionem habemus, nam larva Ioni noctu diuque ante oculos versatur.

Clytaemestrae mostellum (Eumenid. v. 94 sqq.) furias, quae Orestem persequi iussae ante umbilicum Delphicum dormiunt, incitat, ut expergiscantur, eas de libationibus et beneficiis datis commonefaciens. Se a Tartari umbris ut sceleris sui gnaris neglectam solam vagari. Chorus furiarum his verbis incitatus, sed nondum experrectus gemitum dat, dum a Clytaemestra iterum iterumque stimulatus expergiscitur. Magnam vim haec larva in audientium animos habuit, quae ad nodum nectendum a poeta inducitur, nam ipsa odio inflammata Furiis odium inspirat ad Orestem persequendum [3]). Hoc quoque loco persona ex inferis per vim necata [4]) ascendit, ut interfectorem insectetur. Larva quadam ex parte ad Patroclum qui est in Ψ nos vocat, quamquam indoles ab hoc diversa est. Clytaemestra orationem incipit his verbis:

---

[1]) Velut in Plaut. Most. v. 490 sqq., Lucan. VII 769 sqq., Val. Flacc. IV 257 sqq., Plut. Cim. 1, 6 [cf. Paus. III 17,8], Lucian. Phileps. 31 multisque aliis locis.

[2]) Hunc locum imitatus est Ovidius (Met. I 724 sq.), de Ione narrans:

*protinus exarsit nec tempora distulit irae*
*horriferamque oculis animoque obiecit Erinyn*
*Paelicis Argolicae stimulosque in pectore caecos*
*condidit et profugam per totum terruit orbem.*

Quantum Accius in Ione sua hanc rem usurpaverit, cum nihil de hac tragoedia supersit, dicere non possumus. Cf. Ribbeckium l. l. p. 550.

[3]) Eadem sententia est Staehlini l. l. p. 38 et cf. Heyium l. l. p. 20.

[4]) Cf. Staehlinum l. l. p. 39.

εὕδοιτ' ἄν, ὠή, καὶ καθευδουσῶν τί δεῖ;
ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη
ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,
αἰσχρῶς δ' ἀλῶμαι . . .

quae sententiae, quamquam εὕδοιτ' ἄν ironice dictum est, his Patrocli verbis similes sunt (Ψ v. 69 sqq.):

εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ
οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θανόντος

et (v. 72 sqq.):

τῆλέ μ' ἐέργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ.

Larva ipsa figuram suam describit versu (103):

ὁρᾶτε πληγὰς τάσδε καρδίας ὅθεν,

et in ultimo orationis versu (v. 116), quae sit, exprimit. Quasdam igitur locutiones ex epicorum ascensibus in tragoedias fluxisse videmus.

De Aeschyli Ψυχαγωγοῖς, qua in tragoedia Ulixem, ut apud Homerum, descendisse Tiresiam de reditu consulturum constat [1]), nihil habeo, quod dicam.

Apud Aeschylum genera spectrorum varia sunt, ut somni species narrata (Pers. v. 198 sqq.), evocatio (v. 597 sqq.), larva agens (Eumenid. v. 94 sqq.).

De **Sophoclis** spectris non multum constat, praesertim cum earum tragoediarum, in quibus umbrae apparent, nihil nisi fragmenta ad nos pervenerint. Achillis umbram in Dolopibus vel Phoenice actionis nodum solvisse Welcker [2]) putat, sed res incertissima est.

Certiora de Achillis larva in Polyxena [3]) statuere possumus. Umbram ex inferis evasisse testantur Apollodorus (περὶ θεῶν in Stobaei ecl. I, 41,50) [3]) et fragmentum 480 N [2]), in quo Achilles loquitur:

[1]) Cf. Ettigium l. l. p. 291.

[2]) Griech. Trägöd. p. 144 sqq, qui illum Arriani (Epict. Diss. I, 28) locum affert: καὶ ποία τραγῳδία ἄλλην ἀρχὴν ἔχει; Ἀτρεὺς Εὐριπίδου τί ἐστι; τὸ φαινόμενον· Οἰδίπους Σοφοκλέους τί ἐστι; τὸ φαινόμενον· Φοίνιξ; τὸ φαινόμενον· Ἱππόλυτος; τὸ φαινόμενον.

[3]) Cf. Foersterum l. l. p. 196, 1.

ἀκτὰς ἀπαίωνάς τε καὶ μελαμβαθεῖς
λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἄρσενας χοάς
Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἠχούσας γόους.

Larvam Graecos reditu prohibere conatam esse auctor περὶ ὕψους XV, 7 [1]) his verbis affirmat: ἄχρως δὲ καὶ ὁ Σοφοκλῆς ἐπὶ τοῦ θνήσκοντος Οἰδίπου καὶ ἑαυτὸν μετὰ διοσημείας τινὸς θάπτοντος πεφάντασται καὶ κατὰ τὸν ἀπόπλουν τῶν Ἑλλήνων ἐπὶ τοῦ Ἀχιλλέως προφαινομένου τοῖς ἀναγομένοις ὑπὲρ τοῦ τάφου, ἣν οὐκ οἶδ' εἴ τις ὄψιν ἐναργέστερον εἰδωλοποίησε Σιμωνίδου. Praeterea Agamemnonis mortem praedixisse Achillem Welcker ex fragmento 483 N² conclusit hanc scaenam longius patuisse existimans[2]). Achillem Polyxenam flagitavisse constat. Argumentum poeta ex Nostis hausit. Umbram, unde veniat, pronuntiare videmus, quod iam apud Homerum Aeschylumque invenimus.

Chrysothemis in Electra (v. 417 sqq.) Clytaemestrae somnium Electrae narrat. Agamemnonem ab inferis redisse et sceptrum, quod ipse olim gestavisset, tum autem gestaret Aegisthus, cepisse captumque in terra defixisse somniabat; succrevisse ex eo ramum totam terram Mycenaeam obumbrantem. Quo somnio territa Clytaemestra Chrysothemin sacrificandi causa ad Agamemnonis tumulum misit. Quod somnium cum Chrysothemis nullius momenti esse putet, Electra ab Agamemnone ipso missum esse pro certo habet. Clytaemestra paulo post domo egressa Apollinem, ut funestum somnium irritum faciat, implorat. Hoc loco ascensus forma contempta poetae nihil nisi argumentum curae est. Similiter in Aeschyli Choephoris (v. 32 sqq.) somnio Clytaemestra perturbata — inferi succensuerunt (μέμφεσθαι τοὺς γᾶς νέρθεν περιθύμως τοῖς κτανοῦσί τ' ἐγκοτεῖν) — chorum ad Agamemnonis sepulcrum libandi sacrificandique causa misit[3]). Ut apparet apud Aeschylum somnium Clytaemestrae nefastum esse, ita apud Sophoclem vis eius dubia videtur[4]). Quoniam Staeh-

[1]) Cf. Welckerum l. l. p. 177.
[2]) L. l. p. 180.
[3]) De hac re vide Staehlinum l. l. p. 30, 31, 35, 35,4.
[4]) Staehlinus l. l. p. 51 haec dicit: „Gewiss hat auch das Bedürfnis, nicht als blosser Nachahmer des Aeschylos zu gelten, mitge-

linus[1]) accurate disseruit, quid consilii poetae hoc somnium inducenti fuerit, ad eum delego.

Quibus ex rebus Sophoclem quoque spectra in tragoediis suis adhibuisse cognoscimus.

Mitiores sunt **Euripidis** larvae, quae audientes misericordia afficiunt. Poeta eas prologum enarrantes adhibere solet ut Polydorum et Cresphontem. Polydorus in Hecuba (v. 1 sqq.) fabulae expositionem narrat, quis sit, unde veniat, qua de causa appareat, quid factum sit, quid facturus sit, spectantes certiores faciens. Se Priamo et Hecuba natum, adulescentulum a parentibus opibus onustum Polymestori, Thraciae regi, traditum esse nuntiat, ne, si Troia caperetur, Priami familiae victus penuria esset, Troia capta se a Polymestore thesauri potiundi causa in mare iactum esse, nunc ex Tartaro venisse sepulturam poscentem; Achillem, ut Polyxena sibi mactaretur, poposcisse et a serva nunc inventum iri dicit; cum matrem ex tentorio egredientem audiat, evanescit[2]); Hecubae, quae se in somniis Polydorum vidisse narrat et ne quid horribile fiat, timet, chorus ab Achille Polyxenam postulatam esse nuntiat[3]). Ad expositionem fabulae narrandam poeta hac larva usus est; causam, qua commotus Polydorus apparet, iam apud Homerum invenimus eamque ex prisca populi superstitione sumptam esse apertum est. Hoc loco Homerus vim quandam exhibet in Euripidem, nam ascensus et argumentum simile est Patrocli et compositio, nam quae sit undeque veniat dicit utraque

spielt, ein Moment, das, wie Vollbehr (De Oedipi regis Sophocleae oeconomia scenica Progr. d. Gelehrtenschule Glückstadt 1856, 4) wohl mit Recht bemerkt hat, überhaupt viel zu wenig in Anschlag gebracht wird." De huius somnii fonte vide Staehlinum p. 51, 52 4.

[1]) L. l. p. 54 sqq.

[2]) Leo, Der Monolog im Drama (Abhdlg. d. Gött. Ges. d. Wiss. Phil.-hist. Klasse X, 5, 1908 p. 23), Hippolyti et Hecubae prologos comparat.

[3]) Wilamowitzius (Herm. XLIV, p. 448) haec affert: „Wer das Drama sich gespielt denkt, muss die Exposition bewundern an sich als Einführung in die Stimmung und als Kunstmittel, die Geschicke der beiden Hekabekinder mit der Mutter zu verknüpfen."

larva[1]) et orationi suae narrationem infercit — Patroclus Achillis fatum vaticinatur, Polydorus Achillis ascensum narrat — Hecuba Polydori umbram, quam modo spectatores agentem viderunt, in somnio aspexit, id quod ex Aeschyli Eumenidibus cognovimus et quod Pacuvius in Iliona[2]) imitatus est. Staehlinus[3]) Euripidem Polydori umbrae originem traxisse e Sophoclis Achille Polyxenam flagitante putat, quam sententiam probo, cum utrumque spectrum unde veniat dicat in orationis initio (conferas velim versus frgm. 480 $N^2$. [supra pg. 14 sq.] et Hecubae 1 sqq.). Achilles autem persona prologi fuerit necne, incertum est. Cum et huic simulacro Euripideo, ut supra[4]) demonstravi, Homerus et Sophocleo [Simonides et] Nosti exempla praebuerint, tragicos ab epicorum spectris pendere elucet. Hecuba somnio territa aeque atque Atossa in Persis et Clytaemestra in Sophoclis Electra in aperta prodeunt, ut pavore liberentur, quod imitatus est Nonnus, qui locutionem ἀποσκεδαννύναι πτερὸν ὕπνου adhibet (cf. V 535, XLVIII 564). Aeschylus et Euripides in larvarum specie componenda eo congruunt, quod somnia non nullius momenti sunt, nam in Persis Atossa filii res adversas per somnium Dareum aspiciens praevidet (v. 198 sqq.), in Hecuba mater, postquam filius abscessit, in scaenam progressa se in proximae noctis somnio Polydorum et Polyxenam mortuos vidisse dicit. Polydorus et chorus (v. 37 sqq. et v. 109 sqq.) Achillem super tumulo apparuisse armis fulgentibus Polyxenam poscentem narrant[5]).

Euripides idem spectavit inducens et Cresphontem et Polydorum, nam illa quoque larva prologi enarrandi causa escendit ex Tartaro[6]) expositionem explicans, qua Peloponnesi

---

[1]) Vide supra p. 7.
[2]) Cf. infra p. 22 sqq
[3]) L. l. p. 89.
[4]) P. 16.
[5]) Versus 90—97, quibus Hecuba de Achillis larva loquitur, interpolatos esse censet Wilamowitzius l. l. p. 446 sqq.
[6]) Cf. Welckerum l. l. p. 880 sqq.

pagos, quomodo Herculis filiis distributi sint, suam filiique alterius caedem, alterius salutem describit[1]). Accuratiora ex fragmentis eruere non possumus aeque ac de Protesilai tragoedia pauca habeo, quae afferam.

Protesilai umbrae, quae deos inferos, ut sibi ad uxorem redire liceret, oraverat, potestas per unum diem apud superos morandi data erat. A Mercurio ad Laodamiam deductus uxorem simulacrum cereum sui simile amplectentem et colentem invenit[2]). Quam fabulam antiquissimam[3]) fuisse constat et per saecula variis modis exornatam mutatamque esse Baehrensius[4]) docuit. Euripides narratos ascensus finxit,

---

[1]) Mostellum se ostendit, ut mortem clam factam aperiat et detegat, quam ascendendi causam apud Polydorum eandem invenimus. Hanc apparendi causam apud posteros poetas scriptoresque saepe invenimus, ut docent exempla: Deiphilus (Pacuv. Ilionae frgm. 4), Arcas alter (Cic. de div. I § 57), qui a caupone quodam, apud quem habitaverat, necatus alteri apparet eumque rogat ne suam mortem inultam patiatur, Sychaeus (Verg. Aen. I 353 sq), Ceyx (Ovid. met. XI 653 sqq.) Agrippina (Octav. v. 593 sqq.), Actaeon (Nonn. V 412 sqq.), Icarius (XLVIII 147 sqq) mortem suam detegunt.

[2]) Quam scaenam in sarcophagis Vaticano (Mon. Inst. III, t. 40 A) et Neapolitano (Oliverio, Sumbolae litt. in hon. Iulii de Petra Neapoli 1911, p. 303 sqq.) repraesentatam habemus.

[3]) Utrum fabula revertentis ex inferis ad uxorem Protesilai iam in Cypriis exstiterit, nescimus; nam Proclus nihil nisi verba: καὶ θνήσκει Πρωτεσίλαος ὑφ᾽ Ἕκτορος exhibet. Apollodorus autem eandem narrationem quam Sophocles praebens — de Procli et Apollodori necessitudine vide Bethium (Rhein. Mus. XLVI p. 618 sqq.), Wagnerum, epit. Vaticana ex Apoll. bibl. cur. mytog. cap. III, § 16 p. 196 sqq. — haec affert (Apoll. epitom. ed. Wagner Lps. 1894 p. 198): Ἑρμῆς δὲ ἐλεησάντων θεῶν ἀνήγαγε Πρωτεσίλαον ἐξ Ἅιδου. Λαοδάμεια δὲ ἰδοῦσα καὶ νομίσασα αὐτὸν ἐκ Τροίας παρεῖναι τότε μὲν ἐχάρη, πάλιν δὲ ἐπαναχθέντος εἰς Ἅιδου ἑαυτὴν ἐφόνευσεν. Laevius quoque hanc materiam in Protesilaudamia tractavit.

[4]) Fleck. Jahrb 1877, 409 sqq., qui Protesilaum ipsum deos inferos, ut ad uxorem redire sibi liceret, orasse censet, hoc fabulae argumentum usque ad secundum saeculum p. Chr. n. medium vulgatum, inde ab eo tempore commutatum esse demonstrans, cum Welcker l. l. p. 494 sq. Laodamiam maritum ex inferis precibus evocavisse putet.

ut iam vidimus (Hec. v. 109 sqq.). Praeterea in Oreste (v. 617 sqq.) talem narratam larvae speciem habemus, ubi Tyndareus Electra auctore Orestem matrem interfecisse dicit, nam illam ab Agamemnonis umbra per somnia apparenti, ut id suadeat, se stimulatam esse narravisse. Eadem de causa qua Clytaemestra in Eumenidibus ascendit Agamemnon, utraque larva ad scelus aliquod incitat[1]).

Admetus (Alcest. v. 354 sqq.) uxori abeunti umbram eius in somniis visam solatio sibi atque gaudio futuram esse dicit.

Euripides multa de larvis in tragoediis suis finxit, quibus maxime audientes misericordia commoveantur. Praecipue umbras adhibuit, ut prologum enarrarent, id quod certe in eos scriptores et poetas, qui spectra res antea factas nesciis narrantia vel omnino aliquid exponentia faciunt, magnam vim exhibuit.

Priusquam ad Romanorum tragicos transeam, breviter perlustrabo comicorum fabulas, inter quas eminent **Cratini** Chirones et **Eupolidis** Demi[2]). Evocantur in iis clarissimorum virorum umbrae, ut praecepta dent e re publica. In Cratini Chironibus (Kock I p. 82) Solonem ab inferis excitat poeta, *ut Pericleae licentiae priscae vitae disciplinam opponat* et in Eupolidis Demis Solonem, Miltiadem, Aristidem, Periclem ex Tartaro per Myronidem, ut censet Keilius[3]), elicitos in scaenam inducit poeta, ut consilio suo populum adiuvent (Kock I p. 279). Ob similem causam Dareus in Persis evocatur[4]). Larvas adiuvandi suadendique causa apparere ex eo explicari potest quod inde ab antiquis temporibus heroes maxime adiuvantes se ostendere putabantur[5]).

---

Baehrensii opinionem etiam Kiesslingius sequitur (Gryph. Ind. 1877), qui Euripidis fabulam restituere conatus est.

[1]) Cf. Stachlinum l. l. p. 180 sq.

[2]) Vide excursum tertium.

[3]) Gött. Nachr. 1912 p. 237 sq.

[4]) Cf. supra p. 10 sqq.

[5]) De heroibus adiuvantibus et nocentibus vide Denekenum in Roscheri Lex. I, p 2473 sqq.

In **Menandri** fabula, quae Phasma vocatur, spectrum ipsum non apparet; nam illa puella, quam adulescens se vidisse narrat et larvam putat, non est umbra, sed viva virgo. Uxor quaedam a vicino puellam conceptam apud illum educari iussit; sed ut puellam secum haberet — ut Donati ad Ter. Eunuch. prol. 9 verbis utar —, „parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut ipso transitu sacrum locum esse simularet eumque transitum intenderet sertis ac fronde felici rem divinam saepe faciens et vocaret ad se virginem, quod cum animadvertisset adulescens primo aspectu pulchrae virginis velut numinis visu perculsus exhorruit, unde fabulae Phasma nomen est". Denique hanc puellam in matrimonium duxit adulescens. Poeta igitur in hac fabula superstitionem spectrorum tangit, sed larvam ipsam non profert.

De **Philemonis** Phasmate (Kock, Com. Att. frgm. II 502) nihil constat.

Huic adiungo **Plautum**, qui in Mostellaria certo hoc Philemonis exemplar [1]) secutus est.

Ad Romanorum igitur comicos transeamus, quorum de fabulis nihil nisi nomina tradita sunt [2]) praeter Plauti Mostellariam, quae ipsa quoque veram larvam non habet sed fictam [3]) ut est apud Menandrum. Tranio servus, ne Theopropides domum reversus filii facinora comperiat, necati hospitis larvam per eam domum, quam prius habitaverint, nunc vagari simulat; re autem vera filius cum sodalibus suis convivium in hac domo habet. Qua narratione poeta actionem retardare conatur. In hac domo, ut narrat Tranio, (v.

---

[1]) Quod Staehlinus quoque l. l p. 201,4 dicit.

[2]) De Laberii mimo, qui Necyomantea inscribitur taceo, cum a proposito meo me abducat; ad Mommsenium Röm. Gesch. III[8], 391 de argumento et ad Bergkium opusc. I, 408 ablego.

[3]) Ut ait Staehlinus l. l. p. 199: „Hier zeigt sich uns eine auffallende Parallele zum „Miles": Das Traummotiv wird gleich wie dort zur Unterstützung einer Intrigue verwendet (cf. ibidem p. 197 sqq.)" et p. 200: . . . „ein fingierter Traum soll einer gleichfalls fingierten Tatsache, deren Annahme zur Ausführung einer Intrigue nötig ist, Glaubwürdigkeit und Gewissheit verleihen."

479 sqq.), aliquando hospes ab hospite necatus erat, qui noctu Philolacheti, senis filio, in somnio apparuit eique haec nuntiavit (v. 497 sqq.):

*Ego transmarinus hospes sum Diapontius,*
*Hic habito, haec mihi deditast habitatio:*
*Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,*
*Quia praematura vita careo. per fidem*
*Deceptus sum: hospes hic me necavit isque me*
*Defodit insepultum clam [ibidem] in hisce aedibus,*
*Scelestus, auri causa. nunc tu hinc emigra:*
*Scelestae hae sunt aedes, impiast habitatio.*

Exclamavisse Philolachetem ac perterritum fuisse. Ubi autem Tranio finiit narrationem, Philolaches ostium pulsat; seni, qui paene totum mendacium detexit, quaerenti quidnam fuerit servus callidus omnem timorem simulans spectrum ipsum pulsare dicit eique, ut fugiat, suadet. Quae scaena aptissima a poeta ficta est. Magna cum sollertia Plautus depingit, quomodo Tranio Theopropidi[1]) terrorem inferat (a versu 454 usque ad versum 479) eumque supplicatione celebratissima, ut terram tangens deos inferos imploret, adhortatur. Quod attinet ad narrationem ipsam, poeta ei antiquam superstitionem manium per vim necatorum supposuit[2]). Poeta epicorum more noctem describit (v. 484 sqq.), qua re spectri formidinem auxit; larva ipsa, quae sit, dicit et, ut fugiat, Philolachetem admonet. Patrocli verbis similis est sententia, quam imago se in Tartarum non recipi, quia praemature[3]) vita careat, dicens exprimit (Ψ v. 72 sqq. et Plaut.

---

[1]) „Wenn Theopropides dem Traum so ohne weiteres Glauben schenkt und aus ihm auf das wirkliche Vorhandensein eines Hausgespenstes schliesst, . . . beweist das eben seine abergläubischen Anschauungen, also auch hier wieder das Motiv der Mantik zum Teil wenigstens verwendet zur Charakteristik" (Staehlin l. l. p. 200 sq ; cf. p. 190, 196, 198).

[2]) Cf. Staehlinum l. l. p. 200.

[3]) Ad hunc locum adnotat Lorenzius in Mostellariae editione haec (p. 12): „Der Dichter der Mostellaria lässt nicht, wie man nach diesem weitverbreiteten und leicht erklärlichen Aberglauben erwarten sollte, den Geist spuken, weil der Leichnam bloss vom Mörder ver-

Most. v. 500). Plautus igitur apte in hac comoedia spectrorum superstitionem adhibuit et in Tranionis narratione excoluit[1]).

Sed redeat quaestio ad tragicos.

Priusquam ad epicos transeam, tragicos Romanos tractabo propterea, quod Romanorum tragoediae si minus omnes at tamen plurimae a Graecis pendent. Romani in hoc litterarum genere non minus quam in carminibus epicis Graecos imitantur; ex iis fabulis, quippe quarum perpauca fragmenta ad nos pervenerint, Seneca excepto, non multum in nostram rem percipere possumus.

Ante Ilionam in **Pacuvii** Iliona ab inferiore aulaei parte[2]) sordidata Deiphili necati umbra lugubri habitu se tollit, quae a matre nece sua nuntiata, ut sepeliatur corpus fluctibus ad litus eiectum, petit his verbis (frgm. IV)[3]):

*mater te appello: tu quae curam somno suspensam levas*
*neque te mei miseret, surge et sepeli natum* [*tuum*]
*priusquam ferae volucresque . . .*
*neu reliquias sic meas sireis denudatis ossibus*
*per terram sanie delibutas foede divexarier.*

*Haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur* [4]). Certe mostellum mortem suam et interfectorem indicavit[5]). Ubi Iliona expergisci-

---

scharrt worden sei — obwohl es v. 502 defodit insepultum heisst — sondern er sagt v. 499 sq. ganz anders, quia praemature vita careo'; diese Vorstellung ist weit seltener und unklarer bei den Alten: am bekanntesten ist Homers ὑπὲρ μόρον oder ὑπέρμορον: jemand kann zu früh sterben durch fremde Gewalt oder Selbstmord und deshalb keine Ruhe im Grabe finden Verg. Aen. IV 693—705, VI 426; der Komiker, bei dem man in dergleichen Dingen am allerwenigsten Genauigkeit und Klarheit fordern darf, hat beide Anschauungen vom insepultus und praematura morte peremptus vermischt."

[1]) De Catullo et Luscio Lanuvino Phasmate nihil certum est.

[2]) Quod adnotant Scholia Bob. ad Cic. pro Sestio orat. 59 (ed. Stangl).

[3]) Cf. Ribbeckium, l. l. p. 233 sqq.

[4]) Cic. Tusc. disput. I, 44.

[5]) Cf Ribbeckium, l. l. p. 234.

tur, imago evanescit; mater infelix simulacrum frustra retinere conatur clamans (frgm. V):

*age asta. mane audi: itera dum caedem istaec mihi*

et servos, ut corpus quaerant, dimittit. Quod Graecorum exemplar poeta secutus sit, nemo scit[1]. Cum larva nos ad Polydorum Euripideum aperte revocet, poetae hoc spectrum aute oculos versatum esse puto. Utroque loco mostellum per vim necatum prodit prologum narrans, utroque loco, ut sepeliatur, orat (Hec. v. 47 sqq. = Ilion. IV 2), utroque loco se ad maris litus iactum esse dicit (Hec. v. 28 sqq. = Ilion. IV 4 sq.), utroque loco filius matri apparet, Deiphilus ante matrem, Polydorus ante matris tentorium ascendit. Praeterea harum tragoediarum argumenta inter se simillima sunt. In speciei compositione Homeri quoque vestigia invenimus[2], nam et argumentum similitudinem quandam exhibet et locutiones vel sententiae aliquot pares sunt; versuum sententia:

. . . *tu quae curam somno suspensam levas*
*neque te mei miseret, surge et sepeli natum*

respondet his Homericis (Ψ 69 et 71):

εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ . . .
θάπτε με ὅττι τάχιστα.

Eodem modo Clytaemestra apud Aeschylum (Eum. v. 94 et v. 116) in somnio Eumenidibus apparens loquitur haec:

εὕδοιτ' ἄν, ὠή, καὶ καθευδουσῶν τί δεῖ . . .
ὄναρ γὰρ ὑμᾶς νῦν Κλυταιμήστρα καλῶ[3].

---

[1]) Cf. Ribbeckium, l. l. p. 238.

[2]) Quam vim Homerus iam in Euripidis Polydorum exhibuerit, vide supra p. 16 sq.

[3]) Cf. supra p. 14. — Eodem modo posteriorum temporum poetae libenter hanc sententiam umbras loquentes faciunt, ut Propertius (IV 7,14), ubi Cynthia poetae apparet exclamans:

*Perfide . . .*
*In te iam vires somnus habere potest?*,

Statius (Theb. II 101), Nonnus (V 415, XLVII 161, XLVIII 532 sqq. ). Videmus igitur, quomodo hanc ab Homero partam sententiam posteri imitantes usurpaverint.

Simili modo, quo Achilles ut Patroclus maneat, colloquatur, amicum complectatur, orat (Ψ v. 97 sq.[1]) aeque atque Ulixes matrem λ v. 210 sqq.[2])), Deiphili mostellum hoc loco matrem, ut maneat verbaque repetat[3]), obsecrat.

Haud scio an Polymestor in eadem fabula ominibus prodigiisque territus sacerdotem vel oraculum, quomodo dei superi et inferi placari possent, consuluerit[4]), quod ex fragmento XIII Ribbeckius concludit:

*qui deos inferos quibus caelestis dignet decorari hostiis.*

Fortasse inter haec prodigia Deiphili umbra per somnium regem exterruit, nam mortuorum per vim animas interfectoribus minantes et terrentes apparere iam supra[5]) commemoravi. Hanc tamen rem pro explorato habere non possumus.

De Pacuvii Protesilao res incerta est[6]).

Pacuvium igitur Graecorum tragoedias imitantem larvas adhibuisse et ex Homero nonnullas sententias et colores sumpsisse videmus.

Ad **Ennium** pervenimus, qui ut infra[7]) videbimus, in annalibus larvis aditum dedit eisque etiam in tragoediis secundum Graecorum exempla usus est. Polydori spectrum in Hecubae initio ab Euripidis Polydoro originem duxisse constat, unum tamen huius fabulae argumentum exstat: ...*undantem salum*, ex quo concludere possumus eum ut Polydorum de corpore suo in mare iacto locutum esse.

Quod attinet ad Hectoris Lutra quae inscribitur fabulam, non satis perspicere possumus, utrum Ennius Patroclum per somnium Achilli ipsum apparentem fecerit an breviter hanc

---

[1]) Cf. supra p. 7.

[2]) Cf. supra p. 6.

[3]) Hanc sententiam etiam sequentes poetae adhibuerunt, ut Ovidius (met. XI 676) et Vergilius (Aen. V 741 cf. infra p. 36 sq.).

[4]) Cf. Ribbeckium l. l. p. 236.

[5]) P. 13,1.

[6]) Cf. Ribbeckium l. l. p 326.

[7]) P. 28 sqq

speciem tetigerit somnium narrans. Patrocli larvam aliquo modo in fabula sive agentem sive narratam exstisisse pro certo habeo, nam et exemplaria Graeca accurate Ennium expressisse et ad manium ascensus et spectra inclinavisse docent Polydorus in Hecuba et annalium illi loci (I, frgm. IV et XXVIII)[1]. Tum, quod magni momenti est, Patrocli ascensum in posteros poetas tantam vim in depingendo aliquo ascensu exhibuisse scimus et, ut Achillis Polyxenam flagitantis umbra, ubicunque occasio dabatur, poetae usi sunt, ita Patrocli imaginem Ennium usurpavisse putandum est.

Similia de Achillis umbra Polyxenam poscente in Andromacha aechmaloti (frgm. VIII) dicere possumus Ribbeckii opinionem[2]) secuti, qui in illo cantico, quod est de tempestate Graecorum classem arcente, Achillis simulacrum commemoratum esse censet.

Ennius tragoediis suis et annalibus, ut infra[3]) videbimus, ad animarum ascensus genus pervulgandum apud scriptores multum valuit.

De **Accii** Neoptolemo nihil constat[4]). Fortasse Achillis spectrum aut legatorum, qui Neoptolemum Troiam arcesserent, verba confirmavit. aut Deidamiae futura praedixit.

In Troadibus Achillis animam escendisse e Tartaro satis constat; poetam Sophoclis Polyxenam ante oculos habuisse mihi verisimile videtur fragmenta Sophoclis (480 N) et Accii (inc. inc. fab. XXXVIII) comparanti. Iure Ribbeckius illum Ciceronis locum (Tusc. disp. I, 16, 37) ad Accium rettulit, ubi Achillis umbra loquitur haec:

*adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua*
*per speluncas saxis structas asperis pendentibus*
*maxumis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.*

Apud Sophoclem exstant versus:

---

[1]) Cf. infra p. 28 sq.
[2]) L. l. p. 140.
[3]) P. 28 sqq.
[4]) Cf. Ribbeckium l. l. p. 408.

ἀκτὰς ἀπαίωνάς τε καὶ μελαμβαθεῖς
λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἄρσενας χοὰς
Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἠχούσας γόους.

Verba (frgm. II):

*sed utrum terraene motus sonitusne inferum*
*pervasit auris inter tonitra et turbines?*

nos ad memoriam Talthybii revocant, qui Achillis ascensum (Sen. Troad. v. 170 sqq.) narrat[1]). Ribbeckium sequor, qui in hac tragoedia Achillis simulacrum in litore ascendisse et se ex inferis evasisse — ut apud Homerum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem unde veniant spectra narrant — dicens Polyxenam flagitavisse putat. Quam vim haec larva in spectatores habuerit, Cicero ipse verbis *frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen* exprimit. In tragoediae compositione haec umbra pertinet ad actionem promovendam.

In Epigonis quoque de Amphiarai mostello res incerta est; nescimus utrum umbra sua sponte apparuerit an ab altero fratre excitata sit, quod Ribbeckius [2]) ex versu

*audisne haec, Amphiaraë, sub terram abdite?*,

quem ad nostram scaenam referre vult, conclusit. Certe larva fratribus occurrit disceptantibus, utrum matrem interficiant necne, caedemque suadendo actionis finem attulit. Umbras suadendi causa apparere nobis notum est.

---

[1]) Non puto Achillem evocatum esse, quod Ribbeckius l. l. p. 179,1 ex inc. inc. frgm. XXXIX = Cic. Tusc. disp. I, 16, 37 opinatur; nam et omnibus locis, quibus Achilles Polyxenam poscens se ostendit, spectrum ultro ascendit, non elicitur, et verba:

*unde animae excitantur obscura umbra aperto ex ostio altae Acheruntis, salso sanguine*

ad quamlibet necyomanteam referri possunt, non ad hunc Accii locum, praesertim cum omnino de necyia loquatur Cicero: *Inde Homeri tota* Νέκυια, *inde ea, quae meus amicus Appius* νεκυομαντεῖα *faciebat, inde in vicinia nostra Averni lacus, unde animae excitantur obscura umbra ect. . . imagines mortuorum.* — Praeterea longa an brevis sit littera A in „Acheruntis" substantivo, incertum est.

[2]) Cf. l. l. p. 491 sq. et Cic. Tusc. disp. II, 26, 60.

Ex his Accii ac tragicorum ceterorum [1]) fragmentis quamvis paucis animarum ascensus in Romanorum quoque tragoediis late patuisse videmus.

Nunc redeamus ad epicos.

Iam vero ad Alexandrinorum poetarum tempora devenimus, quibus studia historica, philosophica, geometrica, philologica poematis carminibusque epicis anteferebantur; in uno carmine epico **Apollonii Rhodii** quod inscribitur „Argonautica" animarum ascensum habemus (II 911 sqq.). Argonautae Thraciae litora ascendentem supra tumulum Sthenelum, qualis ad bellum profectus est, armis fulgentibus, indutum galea cristata, vident, quem Proserpina misit, ut Argonautas aspiceret; ille nihil dicens evanescit. Obstupefacti Argonautae sacrificant, libant bovesque comburunt et Orpheus Apollini lyram dedicat, quo ex tempore Λύρη loco nomen est. Poeta hanc larvam de causa adventicia quadam introduxit, nam apparet umbra ab inferorum dea, Proserpina, missa. Quam ob causam Sthenelus ascendat, quod consilium poeta habuerit, quem locum in carminis compositione spectrum occupet, si quaeritur, Sthenelum propter rei gravitatem e tumulo escendentem fecisse atque, quam praeclarum illud Argonautarum iter esset, demonstrare voluisse poetam apparet, quod Valerius Flaccus (V 82 sqq.)[2]) Apollonium imitatus docet. Qua vero de causa poeta hanc umbram adhibuerit, haec res mihi ostendere videtur: scholia adnotant ad hunc locum hanc Stheneli [historiam poetam hausisse ex... (reliqua desunt) et pergunt: ἔστι καὶ παρὰ] Προμαθίδᾳ. τὰ δὲ περὶ τοῦ εἰδώλου αὐτὸς ἔπλασεν. Poeta hoc spectro usus est, ut doctrinam prae se ferret, nam libenter ritum quendam vel alicuius loci nomen et monumentum exponit poetarum Alexandrinorum more.

---

[1]) De Q. Tullii Ciceronis Erigona, utrum Icarii umbra filiae mortem indicaverit necne, nihil constat; tamen larvas scaenicas contemplantes patris spectrum caedem detexisse satis certum habemus cf. Ribbeckium l. l. p. 621 et Nonn. XLVII 148 sqq.

[2]) Vide infra p. [illegible]7 sqq.

Quod hic explicatur, unde loci nomen Λύρη oriatur, poeta Stheneli ascensum finxit. Sthenelus hic efficit, ut Argonautae sacrificent libentque. Apollonium non ab Homero sed a Nostorum poeta in hoc ascensu componendo pendere apertum est, Sthenelus non aliter atque Achilles in litore apparet super tumulo armis splendentibus [1]), apud Apollonium autem mostellum nihil loquitur. Praeterea haec opinio eo confirmari potest, quod Apollonius cyclicorum poetarum carminum non ignarus fuit ut unus ex doctis Alexandrinis, qui Homeri omniumque poetarum et fabularum antiquarum studiosissimi erant.

Sequuntur ea tempora, quibus Graeci nihil aliud nisi historiam antiquorum temporum, epigramma, mimum tractabant, Romani carminibus epicis et satiris praeter ceteras gentes operam dabant. Qua de causa Graecorum poetis relictis ad Romanorum poetas epicos nos convertamus. Cum litterarum Romanarum omnia fere genera a Graecis pendeant, non mirum est quod in ascensibus quoque animarum hi ad illorum poetas multum valuerunt.

Primus, cuius carmen epicum fragmentis ad nostra tempora pervenit, **Q. Ennius** est. Annalium initio (I, frgm. 4 sqq.) Homeri umbra poetae apparet eumque de rerum natura suaeque animae de migrationibus edocet, qua in explanatione Epicharmi vestigia pressisse Ennium verisimile est [2]). Ennius ipse in somniis sibi visum esse narrat Homerum dicere pavonem quondam se fuisse, tum ex pavone in se ipsum animam suam transisse. Callimachi Aetiorum prooemium imitatus Ennius hoc prooemium finxit [3]). Homerum imitatus est poeta spectri faciem describens his verbis: *ei mihi qualis erat* et *lacrimas effundens salsas*, quod memoriae tradit Lucretius (I 126), qui de animarum migratione loquens hoc

---

[1]) Quod ex Euripide (Hec. v. 109) sumpsit poeta, apud quem Achilles, σὺν χρυσέοις ὅπλοις apparuit; cf. Ettigium quoque l. l. p. 293, 5.

[2]) Cf. Skutschium, Ennius, Pauly Wissowa p. 2604 sqq.

[3]) Cf. Skutschium, ibidem.

Ennii somnium narrat. Hoc loco prooemii causa poeta larva usus est.

Alio loco (I, frgm. XXVIII) Ilia anui cuidam narrat se in somnio per ripas et amoena salicta ab homine pulchro raptatam sibi visam esse Aeneae simulacrum aspicere, quod sibi magnas aerumnas praedixisset. Quod Ilia ancillae somnium describit, ad Alexandrinorum exemplum fictum est[1]), ascensus ipsius descriptio aliquot partes exhibet, quas ex Homero cognitas habemus. Aeneas apparet, ut vaticinetur, quam ascendendi causam iam apud Homerum, qui Patroclum Achillis fatum praenuntiantem facit, invenimus; postquam spectrum evanuit, Iliam somnio exterritam lacrimavisse narrat poeta (v. 38) non aliter atque Achilles ταφὼν lamentatur (Ψ, v. 101) et sententia versuum 47 sqq.:

*Haec effatus pater germana repente recessit*
*nec sese dedit in conspectum corde cupitus*
*quamquam multa manus ad caeli caerula templa*
50 *tendebam lacrumans et blanda voce vocabam*

congruit cum Achillis loquendi amplectendique cupiditate (Ψ vv. 94—98), quin etiam locutiones aliquot pares sunt, ut *haec effatus* idem est, quod apud Homerum ὣς ἄρα φωνήσας et versus 40 et 50 respondent versibus Ψ 99 sq.:

. . . ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν
οὐδ' ἔλαβε.

Utroque loco Ennius narratos animarum ascensus adhibet.

In poetarum sequentium carminibus epicis manium ascensus nobis non occurrunt.

Ad illum poetam nunc pervenimus, qui ut Homerus in posteros ita in Romanorum poetas maximam vim habuit, **P. Vergilium**. Qui multos ascensus carmini suo, quod Aeneis inscribitur, inseruit variisque modis adhibuit. In hac quaestione ad Heinzium[2]) potissimum delego, qui saepius hos ascensus tetigit. Quae in somniis fiunt species ad Homeri

---

[1]) Cf. Skutschium, l. l. p. 2605.
[2]) Vergils epische Technik[2] 1908.

exemplar[1]) fictae sunt a poeta, cuius somnia exspectata optataque oracula sunt[2]); plurimis locis manium ascensus narrantur, paucis agentes inducuntur. Vergilius praeter Homerum imprimis Ennium et Lucretium sequitur. Sed ad singula adumbranda aggrediamur.

Ea nocte, qua Graeci ex equi utero egressi Troiam invadunt, Aeneae Hectoris umbra apparet (II 268 sqq.) talis, qualis erat in morte:

*raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento*
*pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis,*

quam Aeneas flens alloquitur, qua de causa venerit, quaerens. Ille, ut fugiat et penates secum portet, suadet. Apte a poeta Hectoris spectrum adhibetur, nam is maxime idoneus est, qui Aeneam ad fugam incitans fugam eius excuset; neque enim quisquam Aeneam, qui illius fortissimi et clarissimi viri iussu fugiat neque resistat, ignaviae arguere potest[3]). Ascensus causa similis Sychaei est, nam utroque loco ad fugiendum adhortantur manes[4]). Patrocli somnii speciem in hunc ascensum componendum maximam vim habuisse apertum est, licet nonnullae locutiones ex Ennio sumptae sint, quod consulto fecit poeta, ut Heinzius[5]) censet. Nam primum videmus noctis descriptionem his versibus expressam: (v. 268 sqq.)

*Tempus erat quo prima q u i e s m o r t a l i b u s a e g r i s*
*incipit et dono divum gratissima serpit,*

quam sententiam apud Homerum (Ψ v. 62 sqq.) reperimus:

εὖτε τὸν [Achillem] ὕπνος ἔμαρπτε λύων μελεδήματα θυμοῦ,
νήδυμος ἀμφιχυθείς·

---

[1]) Quod Heinzius putat l. l. p. 397.

[2]) Cf. Heinzium l. l. p. 467.

[3]) Cf. Heinzium l. l. p. 26.

[4]) Similiter hospes a Tranione servo fictus (Plaut. Most. v. 497 sqq.) Philolachetem, ut domo relicta emigret, adhortatur, et Dido Annae (Ovid Fast. III 639 sqq.), quae in erroribus ad Aeneam pervenit, ut fugiat, suadet, quod ei Lavinia insidias paret.

[5]) L. l. p. 26, qui Achillem in Nostis monentem, ne proficiscantur Graeci, hoc loco vim quandam habuisse putat.

deinde versus:

*in somnis ecce ante oculos maestissimus Hector*

par est Homeri versui (65):

ἦλθε δ'ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο;

pergit poeta verbis (Aen. II 271):

*visus adesse mihi largosque effundere fletus,*

ut apud Homerum Patrocli larva γοόωσά τε μυρομένη τε Achilli apparuit. Locutio versus 271 (*visus adesse mihi*) ex Ennio (Ann. I frgm. 6) sumpta est [1]). Tum utroque loco mostelli facies depingitur (Ψ v. 66 sq. et Aen. II v. 271 sqq )[2]). Vergilius Homeri ascensus formam accurate imitatus est, copiosius tamen singulas partes ornavit, utut ei placebat, composuit, ex Ennio aliquot locutiones hausit. Ut evanescentem Patroclum alloquitur [3]), ita advenientem Hectorem Aeneas; uterque, unde veniant umbrae, rogat, Vergilius autem aptius Aeneam primum quaerentem, unde veniat Hector, facit quam Homerus, nam supervacanea videtur esse quaestio (Ψ v. 94):

τίπτε μοι, ἠθείη κεφαλή, δεῦρ' εἰλήλουθας;

quia iam antea Patroclus accurate, unde venisset, narravit (v. 71 sqq.). Libenter poetae formulas incitandi et somno

---

[1]) Ennium huius ascensus exemplum praebuisse putat Coningtonus, qui affert in Vergilii edit. ad hunc locum: „it appears to from Lucrez I 125 that the apparition of Homer shed tears: lacrimas effundere salsas coepisse. In Hom Ψ 105 the spectre of Patroclus stands all night by the couch of Achilles γοῶσά τε μυρομένη τε." Qua re Homerum utriusque fontem fuisse demonstratur. — Omnino et umbrae et ii, quibus apparent, flere, lamentari, maerere solent, ut iam apud Homerum in λ permultis locis (vv. 55, 59, 81, 87, 154, 212, 391, 395, 466, 472, 542) et in ω (v. 21) et apud Ennium (Annal. I frgm. 4 [Lucr. I 126] et I frgm XXVIII).

[2]) Ad versum 274 *ei mihi qualis erat* Servius adnotat: *Versus Ennii*, quo factum est, ut Vergilium in hoc ascensu Ennii somnium imitari putaret Coningtonus l. l. p. 118, quae opinio falsa est; Nordenus in comm. ad libr. VI Aeneid. pg. 312 eam refutat utrumque poetam idem γένος Graecum sequi dicens.

[3]) Locutio *o lux Dardaniae* ex Ennio sumpta est, cf. Coningtonum ad versum 281.

excitandi — ut infra videbimus — adhibent velut hoc loco (v. 289)

*heu fuge...teque his eripe flammis*

et apud Homerum (v. 71) θάπτε με ὅττι τάχιστα. Aeneas Hectorem tam foedatum aspiciens ac vulneratum interrogat, cur tam deformis sit; rectissime poeta nonnumquam somniantem ea, quae postrema gesta sunt, oblitum esse cognovit.

Aeneas fugiens urbem repetit, cum in tumultu uxorem suam amiserit; subito ei maior Creusae imago (II 771 sqq.) visa ante oculos stupenti ac perterrito se inter deas receptam esse nuntiat et fatum vaticinatur: multis erroribus peractis in Italiam eum perventurum, ibi novum regnum conditurum iterumque coniugem in matrimonium ducturum esse. *Haec ubi dicta dedit recessit in auras.* Apte a poeta haec umbra introducitur, nam Aeneae Creusam petenti et vocanti larva eius apparet[1]); quae scaena magis in dicendo quam in agendo consistit. Sed inspiciamus singula; ascensus compositio Homeri exemplar imitatur. legentibus, quod poeta dicit *infelix simulacrum Creusae*, affert memoriam illius Homerici Πατροκλῆος δειλοῖο, facies describitur verbis *nota* (*i. e. viva*) *maior imago*, quibus divinitas Creusae exprimitur[2]). Iam tum, cum apparet umbra, Aeneam perterret, quam spectri vim nondum apud scriptores invenimus, nam ceteris locis mostellum non vim exhibet nisi evanescens; sententiam (v. 774):

*obstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit*

poeta in Polydori specie (III 4·) repetit. Etiamsi satis cer-

---

[1]) Quod observavit Heinzius l. l. p. 306 sq.

[2]) Eodem modo heroum facies plerumque describitur; pauca exempla hic habes: Epizelus quidam magnum virum armatum, cuius barba totum clipeum tegit, videt (Herod. VI 117), Phylacus et Autonous, heroes Delphici, maiores quam pro humana natura visi sunt (VIII 38, 39), heroes Troiani, qui varias res praenuntiant, magni et divini apparent (Philostr. Her. p. 149, 31; 15·, 1 sqq. tom. II ed Kays.), Hector (p. 151, 2 sq.), Palamedes (p. 153, 24 sq.) μέγας καὶ καλὸς τὸ εἶδος, Achilles (p. 155, 5 sqq.) pulcher et magnus. Apud Romanorum poetas umbrae nonnumquam maiores vel ingentes significantur, ut Achilles ingens apparet (Sen. Troad. 181) et Pauli spectrum (Sil. XI 348) et Hamilcar (XIII 750 sq.) . . . *citato celsus abit gressu maiorque recessit imago.*

tum habeo Homerum hoc loco auctorem fuisse huius sententiae Vergilianae, tamen haud scio an poeta in elocutione magis Apollonium secutus sit, apud quem Argonautae Sthenelum aspicientes item obstupescunt. Ut Patroclus ante Acherontis portas se volare nuntiat, ita Creusa, ubi versetur, narrat. Aeneas multa dicere et uxorem evanescentem amplecti vult, quod simile est Achillis verbis (Ψ v. 97 sqq.), quibus Patroclus ut maneat et secum colloquatur, admonet. Aeneas hoc quoque loco lacrimans describitur (vv. 784 et 790); etiam umbrae amplectendae cupiditatem invenimus, ut apud Homerum (λ 204 sq.), ubi mater Ulixem ter amplecti conantem ter effugit, quam hoc loco poeta exprimit his versibus (792 sq.):

*ter conatus ibi collo dare bracchia circum,*
*ter frustra comprensa manus effugit imago,*
*par levibus ventis volucrique simillima somno.*

Huius quoque ultimi versus sententiam Vergilius ex Homero hausit, nam apud hunc legimus (λ v. 207):

τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ ἔπτατ'.

Aeneas ad Thraciam appulsus prodigiis, ne urbem condat, impeditur; nam virgultum ex tumulo evulsurus (III 37 sqq.) perturbatur voce Polydori, qui ibi conditus est, ex imo tumulo audita; is, ut sepulto parcat et fugiat, monet. Polydori fatum poeta explicat. Hoc omine territus Aeneas patre proceribusque, quid faceret, consultis terra excedere constituit, neque tamen prius quam Polydori tumulum exstruxit, sacrificavit, libavit. Apte introduxit poeta hanc scaenam, nam legentem sententia *eloquar an sileam* (v. 39) cupidum audiendi atque avidum facit, quod iam Servius observavit: *parenthesis* inquit *ad miraculum posita quae magnitudinem monstri ostendit et bene auditorem attentum vult facere.* Haec Polydori ex tumulo reddita vox cum monet ne ibi urbem condant Troiani tum maxime efficit ut is, qui legit magna misericordia afficiatur commoveaturque nfelicis etiam in morte lacerati Polydori[1]), quod consilium

[1]) Cf. Heinzium, l. l. p. 103 sqq

in Sychaei larva iam invenimus. Primum apud poetas non spectrum ipsum apparere, sed nihil nisi vocem eius percipi videmus. Quo ex fonte Vergilius hoc apparendi genus sumpserit, nescio; sequentium temporum exempla nonnulla investigavi[1]); apud Vergilium ipsum (IV 460 sqq.) locus exstat, quo de Sychaei verbis ac vocibus loquitur poeta, quae ex Sychaei templo noctu exaudiuntur, et in Fauni oraculo patris vox filio suadet et vaticinatur (VII 81 sqq.). Sui ipsius nominandi morem, quem in Creusae specie vidimus (ipsa nomen suum affert in v. 778 et 784), hic quoque habemus, nam spectrum *Polydorus* inquit *ego* (III v. 45); legentem enim certiorem fieri, quae sit larva, necesse est, quia nusquam antea, cuius esset vox, dictum est. Hunc morem poetae epici certe ex tragicis sumpserunt, qui personam, quae sit, dicentem faciunt, cum primum in scaenam prodit. Poeta, cum umbrae faciem describere non possit, saltem vocis sonum exprimit his verbis:

*...gemitus lacrimabilis imo*
*auditur tumulo.*

Hac voce Aeneas perturbatur, quod ipse his versibus dicit:

*Tum vero ancipiti mentem formidine pressus*
*obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.*

Argumentum narrationis, qua Polydori fatum explicatur, idem est, quod Euripides in Hecuba (v. 1 sqq.) exhibet. Graecorum morem imitatur poeta describens, quomodo Polydori tumulus instauretur (v. 63 sqq.) his versibus:

*...stant manibus ara*
*caeruleis maestae vittis atraque cupresso*

---

[1]) Preller (Roem. Mythol.[3] 1883 p. 88) narrationem affert, in qua vox quaedam, quomodo aegroti liberi sanari possint, nuntiat; de huius narrationis fonte cf. Jordanum Krit. Beitr. p 107, 185, 358, Hirschfeldum, Wien. Stud. 1881, 100; in prodigiis ante pugnam Pharsaliam nocturnae voces emittuntur ex campis (Lucan. VII 175), vox quaedam, ne C. Hostilius Mancinus navem conscendat, dissuadet (Val. Max. I 6, 7), Aiacis vox ex tumulo editur et deridentes pastores Troianos magno timore perfundit (Phil. Heroic. p. 150, 16 ff. tom. II ed. Teubner.).

*et circum Iliades crinem de more solutae;*
*inferimus tepido spumantia cymbia lacte*
*sanguinis et sacri pateras animamque sepulcro*
*condimus et magna supremum voce ciemus;*

nam apud Homerum quoque, qui evocationis praeparationes (λ v. 26 sqq.) enarrat, lac et cruor magni momenti sunt [1]. Simillimo modo Argonautae post Stheneli ascensum sacrificant et Σθενέλου τάφον ἀμφεπένοντο. Videmus igitur in hac scaena, ubi spectrum non ascendit, sed e tumulo respondet, nonnulla inesse, quae in animarum ascensibus cognovimus.

Duobus locis Anchisis umbra Aeneam monet: altero (IV 351 sqq.) ut in Italiam proficiscatur, altero (V 721 sqq.) ut iuvenes electos in Italiam deferat atque in Tartarum descendat. Priore loco Aeneas Didoni sibi abeundum esse dicit, nam:

*Me patris Anchisae quotiens humentibus umbris*
*nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,*
*admonet in somnis et turbida terret imago.*

Hoc et altero loco (V 721 sqq.) larva suadendi (ut iam in Hectoris specie) et terrendi causa se ostendit. Umbras terrendi causa apparere ex communi populi superstitione declarari potest; nam larvas spectraque terribilia atque horribilia esse homines semper crediderunt [2]. Quamvis brevis haec species sit, nonnullas tamen somnii speciei particulas invenimus: noctis et faciei descriptionem.

Altero loco (V 721 sqq.) Aeneas multis curis sollicitatus dormivit, nam brevi ante Nautes, ut relinquerentur in Sicilia senes et mulieres, suaserat; subito ei apparet patris imago de caelo delapsa, quae se ab Iove missam esse dicit et ut Nautae consilia secutus, priusquam cum electis iuvenibus in Italiam proficiscatur, in Orcum duce Sibylla descendat, adhortatur; sibi autem evanescendum esse; nam (v. 738 sqq.):

*. . . torquet medios nox humida cursus*
*et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.*

---

[1] Vide excursum primum.

[2] Friedländer, Sittengesch. III⁶ (1888) p. 762 sqq.

Post haec dicta ceu fumus tenuis in auras fugit. Iam apud Homerum curis anxio apparet larva re gravi imminente, quod Vergilius quoque, ut iam supra (II 771 sqq.) adhibuit. Noctis descriptionem habemus in versu 721; a caelo, non ex Tartaro patris umbra advolat, quippe quae ab Iove missa sit; hoc Vergilius ex Homero sumpsit, apud quem cum a deis nuntii mittuntur tum a Pallade Ipthimae imago (δ 795 sqq.)[1]). Sol oriens vel tempus matutinum apud poetas Caesarianorum temporum simulacra depellit. Servius adnotat ad hunc locum: *saevus oriens. . .cuius lux est umbris inimica unde Lucan.* (VI 744) *et medio feriere die*; *est autem physicum, nam pereunt umbrae solis adventu* et T. Claudius Donatus: *Non sinitur mortuis loqui cum sol fuerit exortus* Versus 740 sqq. Homeri exemplar imitantur, nam evanescendi ratio, quae exprimitur verbis, *et tenuis fugit ceu fumus in auras* eadem est quae apud Homerum (Ψ 100 ἠύτε καπνός) et verba Aeneae, qui

*. . . quo deinde ruis? quo proripis inquit*
*quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?*

eandem sententiam exhibent quam Homeri versus 97 usque ad versum 102[2]). Poeta hoc loco sententias versuum VI 494 sq. adhibet, quas fortasse ex Pacuvii Iliona hausit, ubi Iliona experrecta Deiphili umbram revocat et ut maneat verbaque repetat, orat (frgm. V) versu:

*age asta. mane audi: itera dum caedem istaec mihi.*

Aeneas post patris dicessum sacrificat, quod iam apud Apollonium et Vergilium ipsum (III 62 sqq.) invenimus[3]).

Ut iam supra (Aen. II 351 sqq.) vidimus, Vergilius narratos umbrarum ascensus adhibet; duobus aliis locis (Aen. I 353 sqq., V 636 sqq.) hoc ascensus genus invenimus.

---

[1]) Cf. supra p. 20.

[2]) Hunc Vergilianum locum imitatus est Ovidius (Met. XI 676), ubi Alcyone evanescentem mariti umbram revocat his verbis: *mane! quo te rapis? ibimus una!*

[3]) Ad hunc ascensum quae Heinzius l. l. p. 439 et 307 affert conferas.

Venus Aeneae regionem cum Achata exploranti obvia Didonis regnum ac fata explicat; Didonem quondam cum coniuge Sychaeo Tyri vixisse et inde fugisse marito clam a fratre trucidato, cuius inhumata imago Didoni in somniis occurrens domus scelus detexisset et opes recludens, ut fugeret, suasisset (Aen. I 353 sqq.). Hic ascensus putandus est in genere eorum, qui rem antea factam nesciis aperiunt. Haud scio an umbrae, quae prologi causa in tragoediis prodeunt et expositionem, id est res, quae antea gestae sunt, enarrant, exemplar praebuerint huius ascensus rationis apud poetas epicos, praesertim cum illae umbrae saepe caedem clam factam detegant, ut Polydori (in Euripidis Hec. v. 1 sqq.), Cresphontis (in Pacuvii Ilion. frgm. 4), Deiphili (in Euripidis Cresphonte); hanc rationem postea apud Statium (Theb. V 312) et Nonnum (Dionys. V 412 sqq. et XLVII 148 sqq.) invenimus. Inde apparet Vergilium hanc rationem necis per necatum in somniis aperiendae non ipsum finxisse, sed Euripidis Polydorum (Hec. v. 1 sqq.) imitatum esse[1]). Praeterea inhumatum Patroclum apud Homerum ante oculos habuit Vergilius, cum accuratam figurae descriptionem exhibeat, nam Sychaeus

*...ora modis pallida miris*
*crudelis aras traiectaque pectora ferro nudavit.*

Depingitur igitur spectrum pallidum atque transfixum similiter atque Homerus apud Ennium (Ann. I frgm. 4). Versus ipsi ex Lucretio (I 123) translati sunt, qui de animis loquens hanc sententiam profert:

*quo [in Acherusiis templis] neque permanent animae*
*neque corpora nostra*
*sed quaedam simulacra modis pallentia miris.*

De evanescendo nihil dictum est, cum huic speciei breviter narratae septem versus tribuantur, neque nox describitur sed simpliciter

---

1) Cf. Heinzium l. l. p. 117,1, qui ad eandem narrationem Appiani (Pun. 1) delegat: . . . . „viel dramatischer lässt Vergil die Unglückliche zunächst durch die Vorspiegelung betrüben, dass der verschwundene Gatte noch am Leben sei, um plötzlich den Trug durch die Geistererscheinung zu zerreissen."

*in somnis venit imago*

(ut apud Homerum: ἦλθε δ'ἐπὶ ψυχὴ) expressum legimus. Poeta hunc ascensum fingens misericordia afficere legentes et demonstrare voluit, quantopere Dido maritum amaverit.

Iuno ira nondum posita Irim ad classem mittit, quae Beroae facie induta mulieres Troianas, ut naves comburant, incitat (V 636 sqq.); Cassandrae simulacrum sibi in somniis faces ardentes praebere visum esse nuntiat Beroe. Quae species et actionis retardandae causa a poeta adhibetur, ut Aeneas navibus combustis in Sicilia retineatur et Iunonis ira, quae omnium in carmine malorum causa est, manifesta sit. Cassandra apte Vergilius utitur, quippe quae ut clarissima vates plurimum valeat. Qui brevissimus ascensus nullis coloribus exornatus est.

Postremo nobis tractandum est Fauni oraculum (VII 81 sqq.). Rex Latinus monstris sollicitatus consulere constituit Fauni oraculum, quod *sub alta Albunea* situm est in luco sacro; hinc Italorum gentes responsa petere solebant. Ovibus centum mactatis donisque a sacerdote positis ubi rex *sub nocte silenti* pellibus incubuit, *subito ex alto vox reddita luco est* Fauni, qui generum eius externum fore praedicit. Haec quoque species eo introducitur quod regi in cura ac sollicitudine versanti imago apparet. Porro eadem ascensus causa est quae apud Homerum (Ψ v. 80 sqq.): mostellum, ut vaticinetur se ostendit. Ut Latinus Aeneae filiam in matrimonium daret, poeta hoc spectro effecit. Scaena ipsa ad Graecorum exemplar ficta est, nam talia oracula, quae somnianti responsum aliquod dant, multa apud Graecos sunt notissima Amphiarai et Trophonii [1]); hanc rem Vergilius in Italiam transtulisse videtur [2]). Versus 89:

*multa modis simulacra videt volitantia miris*

sumptus est ex Lucretio (I 128) *simulacra modis pallentia miris* [3]).

---

[1]) Multa huius rei exempla collegit Rohdius, Psyche⁴ p. 106 sqq.

[2]) Quod Conington[us] opinatur l. l. ad. v. 86.

[3]) Cf. supra (Aen. I 354); de huius scaenae contaminatione vide Heinzium p 172,2.

Libri sexti necyiam ad Nordenum[1]) relegans, cum a consilio meo recedat, non tracto.

Ea, quae perscrutati sumus, complectentes Vergilium saepe animarum ascensus adhibuisse, Graecorum id est Homeri imprimis exemplum imitantem, nonnulla ipsum fingentem et addentem ornandi atque amplificandi causa videmus; neque enim omnibus locis somnii species usurpavit, duobus (III 37 sqq. et VII 81 sqq.) de spectri voce nobis narrat. Studiose etiam operam dedit poeta, ut larvae ascensum aliquo modo introduceret; id assecutus est eo quod umbram ei, qui de mortuo cogitabat vel in anxiis curis versabatur, apparentem faciebat.

Iam ad carmina epicorum, qui primo p. Chr. n. saeculo fuerunt, nos convertamus. Ea aetate, cum novae magicae foedarum rerum plenae religiones increbrescerent, horribilia maxime poetis, qui alius alium superare studebat, in carminibus proferenda erant; rhetorum disciplinae iam puerum exercebant in depingendo ac describendo cum multas res tum inferos spectraque. Quae cum ita sint, non mirabimur quod apud huius aevi poetas multa de manibus inferisque scripta sunt eorumque carmina horrendis rebus scatent. *Etiam in his umbris ascendentibus ...fere hoc uno consilio isti poetae mortuorum inducunt simulacra, ut formidabilium voluptate satisfaciant*[2]). Necyomanteas et evocationes, quas quisque carmini suo inseruit et prope necessarias esse iudicavit ad perfectam carminis epici formam[3]), omitto; nam eae bene et accurate tractatae sunt ab Ettigio et Liedloffio[4]).

---

[1]) Vergils Aeneis B. VI erkl. v. E. Norden Lps. 1903, qui p. 342 sqq. quas res Vergilius ex Homeri necyia hauserit et quas καταβάσεις adhibuerit disserit.

[2]) Quod Ettigius l. l. p. 371 affert.

[3]) Cf. Liedloffium, de tempestatis, necyomanteae, inferorum descriptionibus Diss. Lips. 1884, p. 17.

[4]) Liedloffius, l. l., Ettigius, Acheruntica, variis locis; Braunius, Rh. Mus. 22. p. 270 sqq

Priusquam poetas epicos perlustrem, ultimum Romanorum tragicum tractabo, **Senecam**[1]), cuius ex tragoediis, quae cum rebus formidabilibus refertae sunt, tum Tartari descriptiones animarumque ascensus multis locis exhibent, grandem messem facere possumus. Qui poeta illas a prioribus excultas inferorum imagines, quae maxime in rhetorum scholis multis coloribus ornatae erant[2]), adhibuit atque ipse expinxit, ut quam maximam potuit vim efficeret ad spectantium vel legentium animos commovendos ac perturbandos. Porro id spectandum est aetate, qua Seneca fuit, nullam minus alienam fuisse a rebus horribilibus miraculosisque. Illos locos, quibus de inferis loquitur Seneca aut brevius aut uberius velut ubi chorus regna inferna celebrat (Herc. f. 547 sqq., Troad. 157 sqq., 397 sqq., Oedip. 160 sqq., Herc. Oet. 1060 sqq., 1550 sqq., 1916 sqq.), — omnes perscrutari et a consilio meo abhorret et longum est. Haec manium ascensus genera sunt: primum poeta larvis prologi narrandi causa utitur, deinde spectrorum ascensus describit vel narrat, tum umbras vigilantibus apparentes facit, quod nos nunc visiones nominamus.

Convertamus nos ad larvas, quae prologum enarrant.

Thyestis umbra in prologo expositionem et tragoediae exitum nuntiat (Agam. v. 1 sqq.). *Opaca linquens Ditis inferni loca* adest et actionis locum, quem vidit, domum Pelopeam describit. Dubitans, utrum in Tartarum se vertat necne, orcum et Ixiona, Sisyphum, Tityum, Tantalum poenas luentes depingit suaque flagitia enarrat. Tum Agamemnonis mortem praedicit et Aegisthum ad scelus committendum incitat. Evanescit his verbis (v. 53 sqq.):

*Sed cur repente noctis aestivae vices*
*hiberna longa spatia producunt mora*

---

[1]) Cum Seneca tracto Octaviae auctorem.

[2]) Leo l. l. p. 90 haec affert: „Zwischen die alte Tragödie und die Senekas stellt sich die Rhetorik“ et . . . „Der Monolog des höchst gesteigerten Affekts ist zur stehenden Schulübung geworden.“ cf. de Sen. trag. observat. criticis p. 148 sqq.

*aut quid cadentes detinet stellas polo?*
*Phoebum moramur. redde iam mundo diem*[1]).

Huius larvae[2]) compositio est eadem, quae apud ceteras prologi narrandi causa apparentes umbras. Thyestis orationis initium Achillis in Accii Troadibus simile est: compares quaeso versus qui sunt apud Senecam (v. 1 sqq.)

*Opaca linquens Ditis inferni loca*
*adsum profundo Tartari emissus specu*

et apud Accium (inc. inc. fab. frgm. XXXVIII)

*adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua*
*per speluncas saxis structas asperis pendentibus*
*maxumis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.*

Polydori tamen oratio a similibus verbis orditur (Eurip. Hec. v. 1 sqq.):

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Uterque poeta Romanus, ut iam saepius observavimus, idem γένος Graecum sequitur; itaque non liquet, utrum Seneca hoc loco Accii an Euripidis vestigia presserit.

Tantali umbra (Thyest. v. 1 sqq.) una cum Furia prodit in scaenam et quaerit, quisnam se ex inferis arcessiverit, Sisyphi, Ixionis, Tityi poenas suasque enumerans. A Dite petit ut ad illas poenas addat, quo prolem suam magis etiam vexet. Deinde Furia hortata ut Tantalus Pelopis domum omnibus sceleribus obruat, flagitia enumerans fabulae argumentum et exitum praedicit. Tantalus, ubi talia audivit, fugere conatus a Furia retinetur, stimulatus, impulsus, coactus concedit denique atque iussa exsequitur; domum intrat, quae introitum eius sentiens nefando contactu horret. Tum Furia Tantalum repellit in Orcum, nam terram pede eius gravari, fontes non fluere, arbores pallescere et sitire, statim diem *periturum* atramque noctem secuturam esse. Qui dialogus

---

[1]) Eadem est sententia quae in Thyesta (v. 120 sq.) apud Vergilium (Aen. V 789 cf. supra p. 86), Statium (Theb. II 120), Claudianum (de bello Gildon. 348); in Glauciae patris evocatione apud Lucianum (Philops. 14) omnes larvae abscedunt, cum gallorum cantus audiantur.

[2]) Confer id, quod Staehlinus l. l. p. 158 de hac larva dicit.

apte et ingeniose a poeta fictus nova ratione expositionem et fabulae exitum conectit et umbra ipsa totam actionem profert. Quod attinet ad genus dicendi et huius et ceterorum apud Senecam prologorum, optimum videtur Leonis [1]) ipsa verba afferre: „Die euripideische Erzählungsform ist aus diesen Prologen völlig verbannt, zwar werden die ὑποκείμενα mitgeteilt, aber durchaus im Affekt, so dass sie entweder nur in Andeutungen oder in pathetischer Schilderung (Agam.) herauskommen, Vorgeschichte und Gegenwärtiges, auch das Kommende in dunkler Einkleidung. — Mit Wut, Angst, Verzweiflung beginnen diese Tragödien, d. h. doch wohl mit einer viel deutlicheren Motivierung des Selbstgesprächs, als die euripideischen, bei Euripides setzt die Handlung nie ohne Steigerung ein, auch wenn sie leise anhebt, bei Seneka gibt es Steigerung nur in potenzierter Wut". In hoc quoque prologo illas usitatas sententias, quae sit umbra undeque veniat, invenimus; ut iam apud epicos mostellum tellure rupta ascendit, ita Tantalus ipse (v. 87 sq.): . . . *mittor* [inquit], *ut dirus vapor tellure rupta*.

Seneca libenter de inferis loquens Sisyphi, Ixionis, Tantali, Tityi poenas [2]) enumerat [3]). Porro quod ex deorum mythis traditum est, translatum hic ad spectra videmus umbris apparentibus naturam moveri ac lucem retardari (vv. 106 sqq.) Hae Tantali et Furiae vices loquendi peculiaris generis sunt neque quicquam huic umbrae ascensui simile apud ullum poetam invenitur, nisi Laii ascensum apud Statium (Theb. II 7 sqq.) comparari posse putas, qui differt ab illo remissiore genere dicendi.

His mostellis prologi narrandi causa apparentibus adiungendum est Agrippinae simulacrum [4]), quod in Octavia in-

[1]) L. l. p. 91 sq

[2]) Quae iam apud Homerum commemorantur (λ 582 sqq.); de quibus vide Prellerum Griech. Myth. I[3], 675 sqq. Seneca etiam in Apocolocynthosi XIV, ubi quomodo Claudius puniatur, disputant inferi, Tantali, Sisyphi, Ixionis poenas commemorat.

[3]) De Senecae ratione ista exempla enumerandi vide Ettigium l. l. p. 371, 4.

[4]) Neronem a matris umbra vexatum esse Suetonius quoque tradit (Ner. 34): *saepe confessus [Nero] exagitari se materna specie* . . .

certi poetae (v. 593 sqq.) in scaenam prodit. Agrippina ardentibus facibus Neronis et Poppaeae nuptiis praelucens se tellure rupta ex Tartaro evasisse narrat; semper illius nefariae caedis se memorem esse, Neronem suam matrem frustra naufragio perdere conatum brevi post ferro trucidavisse. Nunc filium etiam statuas suas delere ac ruere, diem tamen aliquando venturum esse, quo poenas solvat. Iam Furiam imperatori mortem turpissimam parare [1]) et horribiliores poenas quam Tantali, Sisyphi, Tityi, Ixionis. Se hoc monstrum peperisse, educavisse, adiuvisse detestans evanescit, quoniam suis nihil nisi pestis sit. Quae umbra aperte ex rhetorum officina prodiit, nam color et sententiae orationis ad id loquendi genus spectant, quod ἠθοποιία vocatur. Ceterum easdem compositionis partes exhibet Agrippinae spectrum quas apud prologum enarrantes larvas reperimus, nam unde veniat, quid faciat, quid factura et quid futurum sit, mostellum pronuntiat. Clytaemestrae umbra apud Aeschylum (Eum. v. 94 sqq.) Agrippinam contemplanti mihi in mentem venit, nam utraque larva velut Furia apparet, utraque a filio necata est, utraque in Tartaro sine ulla quiete vagatur, Clytaemestra a ceteris umbris neglecta, Agrippina odiosa et impiae caedis semper memor. Fortasse poetae hoc Clytaemestrae simulacrum ante oculos versatum est. Staehlinus [2]) Agrippinae et Polydori umbras inter se similes esse statuit, quia utroque loco post umbrae ipsius ascensum persona quaedam in scaenam prodit, quae de illa aliquid narrat, apud Octaviae poetam Poppaea Agrippinam in somnio vidit, apud Euripidem Hecuba Polydorum. At Staehlinus ipse praeter hoc exemplum Clytaemestram Eumenidum affert; tum ita pergit: Ein weiterer mit der „Hecabe" paralleler Zug ist es, wenn die im Traum erscheinende Person noch keine Ruhe erlangt und darum noch keine Ruhe gefunden hat.

---

[1]) Vide infra p. 51; cf. Ettigium, l. l. p. 369,3 qui *illos q. d.* τόπους *collegit, ubi manium cum vivis ratio excolitur* — Iulia (Lucan. III 8 sqq.) similia loquitur. Hanc igitur sententiam Agrippinae poetam ex Lucano hausisse verisimile est.

[2]) L. l. p. 167, 2.

Eadem de Clytaemestra dicere possumus. Itaque minime Staehlini opinionem sequor, qui Octaviae poetam in Agrippinae simulacro fingendo neminem alium nisi Polydorum ante oculos habuisse dicit. Certum iudicium facere de hac quaestione difficile mihi videtur. Accurata Agrippinae necis descriptio supervacanea est, nam antea nonnullis locis (v. 125 sq., ubi illius fatum tangitur, v. 310 sqq., ubi plane narratur) de Agrippinae morte dictum est. Leo [1]) hunc umbrae sermonem intervallum inter duos actus esse putat et larva noctem significari censet. Larvam media in fabula, non in initio prodire praeter hunc locum nunquam invenimus, ut cognovit Swoboda [2]).

Quasi evocatus — nam Alcmena neniis filium advocavit — Hercules (Herc. Oet. v. 1940 sqq.) apparens matrem de morte maestam consolatur eique se in caelum receptum esse dicit eamque ab Eurystheo poenas capturam esse vaticinatur. Mater attonita, ut paulisper maneat, a filio petit, ille autem evanescit. Chorus virtutem praedicans Herculem celebrat [3]) et, ut sibi propitius sit, orat. Quae species finem fabulae afferens similiter ficta est atque apud Sophoclem (Philoct. v. 1409 sqq.) et Euripidem Hercules atque Castor et Pollux ut deus ex machina apparent [4]).

---

[1]) L. l. p. 93.

[2]) Uebers. d. Tragödien Senekas. Wien 1825, 1830. III, 356.

[3]) Aeque ac post Darei abscessum (Aesch. Pers. 852 sqq.); cf. supra p. 37.

[4]) Hercules (Soph. Phil. v. 1409 sqq.) postquam, quis esset undeque veniret, dixit, Philoctetae et Neoptolemo consilia dat et eos et gloriam et labores subituros esse praedicit. Castor et Pollux (Eurip. Hel. v. 1648 sqq.) Theoclymenum Helena sororis suae auxilio a Menelao abducta mitigant admonentque, ne sororem necet, nam omnia fato peracta esse; tum Helenam post mortem in dearum numerum receptam atque insulam nomine eius appellatum iri, Menelaum in Elysio versaturum esse vaticinantes. In Electra quoque (v. 1238 sqq.) Dioscuri Orestem, ut Electram Pyladi in matrimonium det atque ipse Athenas fugiat et Palladis statuam amplectens deam imploret, adhortantur; eum absolutum apud Alpheum habitaturum esse, Aegisthi corpus Mycenenses, Clytaemestrae Menelaum sepulturos esse praedicunt.

Narratos animarum ascensus nunc tractabo. Brevissime[1]) Laii evocationem tangam. Oedipo quaerenti, cuius morte dei placari possint, Creo quomodo Laii umbra ex inferis elicita sit, accuratissime describit (Oed. v. 530 sqq.). In luco sacro silentio atque caligine horribili omnibus sacrificiis libationibusque peractis terra dehiscit, Tartarus panditur; precibus geminatis vultus opacos tollit Laius *sanguine effuso horridus et paedore foedo squalidam obtentus*[2]) *comam* et interfectorem detegit et vaticinatur. Quae longa expositio epica nullo modo quadrat ad tragoediae formam, nam Oedipus cupidissimus, quis sceleris auctor fuerit, cognoscendi hanc copiosam largamque relationem audire cogitur. Laii oraculum ad fabulae actionem promovendam necessarium, descriptio tam longa atque effusa supervacanea est[3]).

Talthybius, quomodo Achillis spectrum Polyxenam, ut sibi mactaretur, poscens ex inferis escenderit, his verbis exprimit (Troad. v. 170 sqq.):

*. . . summa iam Titan iuga*
*stringebat ortu, vicerat noctem dies,*
*cum subito caeco terra mugitu fremens*
*concussa totos traxit ex imo sinus,*
*movere silvae capita*[4]) *et excelsum nemus*
*fragore vasto tonuit et lucus sacer*
*idea ruptis saxa ceciderunt iugis*
*et scissa vallis aperit immensos specus*

---

[1]) Nam copiose eam tractaverunt Braunius, Rh. Mus. 22, 270 sqq., Liedloffius l. l. p. 17 sqq., Ettigius, l. l. p. 372, 2. — Braunii opinionem refutaverunt Habrucker, Quaest. Annaeanarum capita IV, Diss. Königsberg 1873, p. 36, Straussius, Ztschr. f. österr. Gymnasialwesen XXXXIII, 1892, 734.

[2]) Fari horret Creo aeque atque apud Vergilium Aeneas Polydori speciem narrans (Aen. III 37) *eloquar* [inquit] *an sileam.*

[3]) Cf. Lessingium, Theatr. Bibl. 2 St. S. 83.

[4]) Quae sententiae ex illo Vergiliano loco sumptae sunt (Aen. VI 256 sqq), ubi poeta Hecata adveniente haec dicit:

*sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri*
*silvarum.*

(cf. quoque Aen. IV. 490 sq.)

*nec terra solum tremuit: et pontum suum*
*adesse Achillem sensit ac stravit vada.*

Tum *tellure fracta* Achilles ascendit super tumulo et emicat ingens umbra armis fulgentibus [1]), qualem in bello Troiano se praebuit. Irati vox omne litus implet et minans, ut Polyxena Pyrrhi manu mactetur, flagitat. Deinde sub alta nocte evanescit et

*...immoti iacent*
*tranquilla pelagi, ventus abiecit minas*
*placidumque fluctu murmurat leni mare*
*Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.*

Haec umbra fabulae actionem profert, cum tota tragoedia de Polyxenae et Astyanactis caede agatur. Quo modo natura umbra apparenti moveretur, poeta pulcherrime depinxit, quae descriptio aperte rhetorum scholam sapit. Similiter atque in Laii evocatione [2]) hoc loco, Talthybius priusquam narrationem suam incipit:

*Pavet* [inquit] *animus artus horridus quassat tremor*
*maiora veris monstra vix capiunt fidem.*

Seneca primam originem ab Achillis in Nostis larva et ab Euripidis Hecuba [3]) (vv. 109, 113 sqq.) ducit; in sententiis autem et elocutionibus Ovidium (Met. XIII 440 sqq.) ut multis aliis locis imitatur, descriptio Senecae ut rhetoris multo ornatior et copiosior est. Ovidius hos versus ante Achillis ascensum exhibet (v. 439 sq.)

*Litore Threicio classem religarat Atrides*
*dum mare pacatum, dum ventus (mitior +) amicior esset,*

quam sententiam, ut ego existimo, Seneca post imaginis abscessum (v. 207 sqq.) expressit. Tum apud Ovidium legimus:

*Hic subito, quantus cum viveret esse solebat...,*

---

[1]) Cf. supra p. 27 et 28,1.
[2]) Cf. supra p. 45,2 et Verg. Aen. III 87.
[3]) Cf. Braunium, de Sen. fabula quae inscr. Troades, Gymnasialprogramm Wesel 1870 p. 4 sq.

quod Seneca accuratius versibus 182—189 describit; ad Accii Troades [1]) nos revocat illa naterrae spectro motae descriptio (vv. 170—173); apud Accium exstant versus:

*sed utrumne terrae motus sonitusne inferum*
*pervasit auris inter tonitra et turbines*;

apud Ovidium legimus (v. 442):

*exit humo late rupta similisque minanti*

pariter atque apud Senecam (v. 179 sqq.):

*et hiatus Erebi pervium ad superos iter*
*tellure fracta praebet ac tumulum levat*

et v. 190:

*implevit omne litus irati sonus*;

Achilles Ovidianus (v. 445 sqq.):

*immemoresque mei disceditis inquit Achivi?*
*Obrutaque et metum virtutis gratia nostrae?*
*Ne facite! utque meum non sit sine honore sepulcrum,*
*placet Achilleos mactata Polyxena manes*;

et larva apud Senecam exclamat (v. 191 sqq.):

*Ite, ite inertes. Manibus meis debitos*
*auferte honores. Solvite ingratas rates*
*per nostra ituri maria. Non parvo luit*
*iras Achillis Graecia et magno luet*
*desponsa notris cineribus Polyxene*
*Pyrrhi manu mactetur et tumulum riget.*

Hoc loco, ut iam saepius, ascensus formam et compositionem ex aliquot poetarum sententiis mixtam habemus [2]).

Andromacha seni cuidam somniis se angi narrat (Troad. v. 437 sqq.). Nam Hectoris umbra subito obviam se fert ei non qualis erat vivus, sed

---

[1]) Cf. supra p. 26.

[2]) Ovidius ipse Euripidis Hecubam ut alias ita hoc loco ante oculos habuisse videtur, nam affinitas quaedam et sensus et sententiarum intercedit inter Ovidii, Senecae, Euripidis locos, quam Braunius l. l. inter Senecam solum et Euripidem statuit. Ego quidem pro certo habeo Senecam in compositione et sententiis imprimis Ovidium imitatum esse cf. quae dixi p. 46.

*fessus ac deiectus et fletu gravis*
*similisque maesto*[1]) *squalida obtentus coma*

et, ut somnos dispellat, Astyanactemque filium ex periculo mortis imminentis eripiat, admonet. Illa gelido horrore ac tremore excitata omnibus locis Hectorem oculis quaerit, tamen

*fallax per ipsos umbra complexus abit.*

Haec larva actionem retardare conatur, nam Andromacha eius impulsu Astyanactem abdit mortis eius retardandae causa in Hectoris tumulum. In hac somnii specie Senecam accurate Hectoris apud Vergilium (II 268 sqq.) ascensum imitatum esse Rommenyius[2]) monstravit.

Octaviae Britannici tristis umbra, ut ipsa narrat, in somniis apparet (Octav. v. 115 sqq.) modo facibus atris[3]) armata oculos et ora fratris infesta petit modo in Octaviae thalamos trepida refugit, a Nerone, qui persequitur eam, ense necatur. Tunc tremor atque ingens terror excutit somnos renovatque luctum et metum sororis miserae. Quae species more usitato composita est.

Poppaea nutrici Octav. (v. 718 sqq.) somnium narrat, in quo maestam matrum Latinarum turbam resolutis comis lamentantemque atque Agrippinam minaci vultu faces quatientem vidit. Agrippinam sequitur Poppaea et per tellurem hiantem ad inferos praecipitat; Crispinum, qui eam osculari vult, et Neronem iugulum ense perfodientem aspicit: perterrita expergiscitur et sacrificat[4]). Quod somnium,

---

[1]) *nostro*: Leo.

[2]) De auctore tragoediarum Senecae Vergilii imitatore, Leidae 1887 p. 11.

[3]) Quibus umbram Furiam esse significatur non aliter atque apud Vergilium (Aen. IV 472) Orestem matrem suam facibus armatam vidisse scriptum est et Agrippinae mostellum facibus armatum ascendit (Octav. v. 598 sqq. et 718 sqq.). De hac superstitione vide Rohdium (Psyche I[4] 270).

[4]) Staehlinus l. l. p. 170 ad hoc Poppaea sacrificium adicit haec: „Der stereotype Versuch, die Erfüllung von Schreckträumen abzuwehren, auch dieser Zug zweifellos aus der Elektra des Sophocles übernommen". Hoc non probo, nam multa exempla, ut saepius demonstravimus, primum Achillem in Ψ, eos quibus simulacrum vel

in quo Agrippina quasi Furia (ut v. 593 sqq.) apparet, ad provehendam actionem nihil valet; praeterea Neronis exitus in hac tragoedia non ita describitur, ut narrat Poppaea. Hic quanta voluptate in talibus somniis horribilibus poeta versatus sit, cognoscimus [1]).

Ad tertium denique genus animarum ascensus, qui sunt apud Senecam et Octaviae poetam venimus, in quo persona quaedam summo terrore perturbata umbram alicuius aspicere sibi videtur. Andromacha, cum Ulixes Astyanactem in Hectoris tumulum abditum evulsurus est (Sen. Troad. v. 681 sqq.), summo timore perterrita Hectorem aspicere sibi videtur, quod apte Seneca ita exprimit:

> ... *rumpe fatorum moras* [2])
> *molire terras Hector, ut Ulixen domes,*
> *vel umbra satis es. — Arma concussit manu.*
> *Iaculatur ignes. — Cernitis Danai Hectorem*
> *an sola video?*

In Medeae sermone (Med. v. 963 sqq.) illo quasi specimine artis rhetoricae Medea filios suos mactatura fratris umbram *dispersis membris* advenientem videt, qui poenas petit.

Cassandra (Agam. v. 741 sqq.) vaticinans suorum larvas videre sibi videtur, quas sequi vult in Tartarum et Hectorem eiusque *lacera membra et saucios vinclo gravi illos lacertos.* Denique perturbata exclamat (v. 754 sqq.):

> ... *vos, umbrae, precor*
> *reserate paulum terga nigrantis poli,*
> *levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum,*
> *spectate miseri: fata se vertunt retro* [3]).

---

somnii species occurrerunt, ad sacrificandum libandumque se convertere docent.

[1]) Cf. id quod Staehlinus l. l. p. 170 de Octaviae et Poppaeae somniis affert.

[2]) Quae locutio in Verg. georg. III 43 primum usurpata in Aeneide bis (IV 569 et IX 13) repetitur; sequentes poetae et scriptores eam libenter adhibuerunt; cf. Krollium, N. Jhb. XI p. 10.

[3]) Staehlinus l. l. p. 156 has inferorum imagines in utroque Graecorum exemplo — in Aeschyli Agamemnone et in Euripidis

Quas exclamationes et visiones ex rhetorum disciplina manavisse quis est qui non videat!

Agrippina (Oct. v. 614 sqq.), ipsa umbra, exstincti mariti imaginem infestam persequentem, instantem, minantem aspicit; umbra umbram videre videtur, quo nihil cogitari potest infernalius.

Omnia, quae de Seneca et Octaviae poeta diximus, complectentes illos omnium, quos tractavimus tractabimusque, poetarum ad describendas res inferas et animarum ascensus maxime inclinare cognoscimus.

Nunc ad epicos nos convertamus. **Lucanus** permultis locis de manibus locutus libro sexto illam necyiam, quam diligenter Fahzius[1]) perscrutatus est, inseruit. Longiores tamen animarum ascensus duobus vel, si Italiae imaginem[2]) in animarum ascensibus numerare vis, tribus locis habemus.

Pompeio dormienti Iuliae imago *plena diri horroris* apparet (III 8 sqq.), quae per hiantem terram caput maestum

---

Troadibus — deesse dicit et ita pergit: „ob sie aus einer anderen literarischen oder mündlichen Quelle stammen oder vom Dichter, seiner öfters bekundeten Neigung entsprechend, grauenvolle Gestalten der Unterwelt entweder selbst auftreten oder doch wenigstens über sie berichten zu lassen, frei erfunden sind, wird sich nicht mit Sicherheit entscheiden lassen“. Has imagines poetam ipsum invenisse satis certo confirmari puto iis rebus, quas modo in Senecae fabulis ac mostellis perlustrandis commemoravi; nam Senecam has imagines voluptate rerum formidabilium et infernarum commotum finxisse vidimus.

[1]) De Romanorum poetarum doctrina magica in Relig. wiss. Vers. u. Vorarb. 1903 II Bd. 3. Heft p. 107 sqq.

[2]) Caesar cum ad Rubiconem pervenerit, trepidantis patriae imaginem per obscuram noctem aspicit (Phars. I 185 sqq.), quae *turrigero vertice canos crines effundens caesarie lacera nudisque lacertis* ingemiscens haec loquitur:

> . . . *Quo tenditis ultra?*
> *Quo fertis mea signa viri? Si iure venitis,*
> *si cives, huc usque licet.*

Huius speciei compositio eadem est quae animarum ascensus: nox et imaginis facies describuntur, Caesar visu obstupefactus et territus Iovem vocat imploratque.

tollere et *accenso sepulcro furialis stare* videtur. Se ex Tartaro venisse dicit, ubi Eumenides faces quatientes et Charontem multas naves parantem, quae innumerabiles mortuos reciperent [1]), vidisset. Dum Pompeius cum Iulia coniuge vixisset, beatum eum fuisse magnosque triumphos tulisse, Cornelia uxore ducta nihil nisi res adversas ei accidere; se semper ei terrori futuram ac minitaturam esse. Haec ubi dixit,

> *. . . refugit*
> *umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti* [2]).

Hoc loco larva apparet, ut et terreat et vaticinetur, quas apparendi causas iam apud priores poetas invenimus. Poeta hoc simulacro usus est, ut ei, qui scelus commisit, poenam dandam esse demonstraret. Nam Pompeius prioris uxoris brevi oblitus alteram duxerat. Praeterea poeta, ut infra videbimus, cum gravia impendent — hoc loco bellum civile — talia prodigia et mortuorum animas apparentes plerumque ad calamitates et res adversas praedicendas adhibere solet. Formam usitatam spectri ascensus habemus: pro noctis descriptione somniantem depingit poeta his versibus (v. 8sq.):

> *inde soporifero cesserunt languida somno*
> *membra ducis,*

qua facie quoque animi motu sit mostellum, depingitur; illud *caput maestum* par est Hectori maestissimo (Aen. II 270 et Lucan. I 187); umbra ascendit ex tumulo *per hiantes terras*, quod ex Homero (λ 36) [3]) haud scio an sumptum sit vel ex Ovidio vel Seneca, nam apud illum Achilles (Met. XIII 442) Polyxenam flagitans, *exit humo late rupta*, apud hunc, qui, ut supra [4]) vidimus, ab Ovidio pendet, Talthybius (Troad. v. 179 sq.), quomodo Achillis spectrum ascenderit, describit his versibus:

---

[1]) Cf. supra p. 43 not. 1.

[2]) Quae sententia simillima est Senecae (Troad. v. 459. cf. supra p. 48.

[3]) Ettigius, l. l. p. 293,5 adnotat: *ut tollit Tiresias in egregia pictura vasi inscripta cf Baumeisterum Denkm. p. 1040 = Monum. Inst. IV, 19.*

[4]) Cf. p. 46.

*...hiatus Erebi pervium ad superos iter*
*tellure fracta praebet ac tumulum levat*[1]).

Iulia supra tumulum stat, quam rem iam in Nostis cognovimus[2]), apud Aeschylum, qui in Persis (v. 659) Dareum a choro evocari fingit his verbis: ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου, apud Euripidem in Hecuba (v. 93), ubi chorus de Achillis larva loquitur, quae ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς apparuisse dicitur, apud Apollonium, qui Sthenelum super tumulo stantem facit (II 911 sqq.) Hanc igitur apparendi rationem omnium usu receptam videmus. Iuliae orationis initium simile est Polydori in Euripidis Hecuba. Nam utroque loco, unde veniant, spectra narrant, similiter Seneca quoque umbras suas, quae prologi narrandi causa in scaenam prodeunt, loquentes facit. Duo poetae, et Seneca et Lucanus, idem genus Graecum sequuntur. Iulia eodem modo quo Patroclus evanescit: *per amplexus.* Pompeius hac larva non territus *maior in arma ruit* uxoris verbis neglectis.

Lentulus Pompeio, qui cum Parthis foedus initurus est, ne id faciat, dissuadet, nam eum, ubi Araxem transierit, Crassi inultam larvam deterrituram esse (VIII 431 sqq.). Quam brevem speciem non minus quam eas, quas statim tractabo, ex rhetorum officina fluxisse puto. Hoc quoque loco spectri facies describitur: senis maesti umbra Scythicis confixa est sagittis; maestitia Crassi depingitur, quem animi motum Lucanus libenter in simulacris suis describendis adhibet (I 187; III 10).

Iam ad eos locos pervenimus, quibus breviter poeta de manibus loquitur. In prodigiis ante bellum civile visis (I 580 sqq.):

*...e medio visi consurgere campo*
*tristia Sullani cecinere oracula manes*

---

[1]) Multa huius ascensuum generis exempla nobis praesto sunt: Sen. Agam. v. 741 sqq., Thyest. v. 87 aliaque, quae certo ex rhetorum disciplina manaverunt.

[2]) Cf. supra p. 8.

*tollentemque caput gelidas Anienis ad undas*
*agricolae Marium fracto fugere sepulcro*;

ante pugnam Pharsalicam (VII 179 sqq.) ii, qui Pompei partes sequuntur, cum alia prodigia vident tum:

*defunctos[que] patres et cunctas sanguinis umbras*
*ante oculos volitare suos*;

et post pugnam (v. 768 sqq.):

*Ingemuisse putem campos terramque nocentem*
*inspirasse animas infectumque aera totum*
*manibus et superam Stygia formidine noctem.*

Lucanus ipse (IV 788 sqq.) Curionis exercitus cladem narrans exclamat indignans talem fortunam dirae Carthaginis umbras invisas excitaturam cruentumque Hannibalem ac Poenorum manes piaturam esse. In Pothini coniuratione poeta (X 6 sqq.) Pompei animam vocat, quippe quae Caesarem ab interitu servaverit. Pompei manes alio loco (X 336) Pothinum ad seditionem incitant.

Lucanus carmini suo cum multas res infernales tum breves plerumque manium ascensus intexuit, — in longioribus et Graecorum exemplar et Vergilium imitatus est — quae nulla alia nisi exornandi causa a poeta adhibita sunt.

Quanta rerum infernarum ubertate **Valerii Flacci** carmen Argonautica quod inscribitur refertum sit, optime inde perspici potest, quod poeta, quamvis imitetur Apollonium, qui uno loco umbram apparentem facit, permultis locis de inferis[1]) loquitur nonnullosque animarum ascensus adhibet.

Iam primi libri initio (v. 47 sqq.) Pelias Iasoni se Phrixi laceram umbram noctu vidisse excitantem ad ulciscendum narrat; haec causa est, cur Pelias Iasonem ut Argonautarum expeditionem faciat, adhortatur, quod totius carminis argumentum est[2]). In hac narrata specie nox, umbrae facies

---

[1]) Cf. Tonderum, die Unterwelt nach Valerius Flaccus. Progr. Böhmisch-Leipa 1888.

[2]) Langenus in commentario ad Val. Flacc. p. 25 adnotat haec: *scite Valerius hoc mendacium Peliae finxit*; *apud Pindarum Pyth. IV 289 rex Iolci Phrixum sibi in somniis apparuisse dicit monentem, ut vellus aureum repeteretur, de caede tacet.*

animique motus describuntur; *saeva gementem* aspicit Pelias adulescentem, cuius *lacera umbra* eum assiduis questibus excitat. Quae communis opinio erat manes inultorum vel per vim necatorum ultionem poscentes et ad ulciscendum incitantes apparere, eam apud Aeschylum expressam invenimus in Eumenidibus (v. 94 sqq.), ubi Clytaemestra Furias dormientes, quae Orestem persequuntur, e somno suscitat, ut ulciscantur. Videmus igitur poetam hanc ascendendi causam non invenisse[1]).

Alcimede, Iasonis mater, de filio metuens necromanteam constituit[2]), ut ab inferis aliquid de filii fato et expeditionis exitu comperiat (I 731 sqq.); qua de causa cruorem libat et carmine magico manes elicit. Cretheus avus maestus apparet et libato sanguine[3]) filium spoliis onustum rediturum, Aesonem autem brevi tempore moriturum esse praedicit. Scite poeta hac vaticinatione utitur, ut et parentes ante mortem filii fatum et prosperum reditum comperiant et sequentem scaenam praeparet introducatque, quae, quomodo Pelias Aesonem necare conetur, demonstrat. Patris oraculo commotum Aesonem se ipsum interficientem inducit Valerius, ne Peliae insidiis necetur Aeson, quod noluit poeta describere. Evocatio ad Homeri exemplar ficta est; hic quoque umbrae facies verbis *iam tenues vultus extulerat* (v. 738) depingitur.

Alio loco Hercules, postquam per saltus et silvas errans frustra quaesivit Hylam[4]), denique fessus accumbit et dormit. Ecce puer ex undis escendit (V 22 sqq.) crocea corona ornatus; super Herculis capite stans se a nymphis raptum in hoc nemore versari narrat patremque orat, ne se

---

[1]) Cf. Friedländerum, Sittengesch. III[6] 762 sqq., qui haec dicit: „ . . . in anderer Beziehung stimmt der Geisterglaube beider Völker (Graecorum et Romanorum) überein. Namentlich heftet er sich hier wie dort an die Geister gewaltsam Umgekommener und Unbegrabener“.

[2]) Vide excursum primum.

[3]) Aeque ac Tiresias respondet non prius quam cruorem bibit (λ v. 98).

[4]) De Hylae fabula egit G. Türk, de Hyla, Bresl. Philol. Abh. Bd. VII 4 [p. 59 sqq.].

laceret curis et querelis, tum Meleagri et Herculis fato — Herculem mox inter deos receptum iri — praedicto, ut sui memor sit, a patre petens evanescit. Hercules bracchia extendit, aera amplectitur[1]), dextram tendere conatur, umbra autem effugit.

*Tum lacrimis, tum voce sequi, tum rumpere questus,*
*cum sopor et vano spes maesta resolvitur actu.*

Cum alcyone, cui nidus raptus est, comparat poeta Herculem[2]); exsilit Hercules effusisque lacrimis genas rigans se solum iturum esse clamat. In hac speciei compositione nihil novi est, sed poeta poetarum, qui antecesserunt, exempla sequitur. Umbra quaerenti et desideranti apparet ut apud Vergilium (II 771 sqq.) Creusa Aeneae, facies eius describitur, evanescit per Herculis amplexus; ille lacrimans lamentatur. Ut plurimis locis, quibus larvae ascendunt, Valerius brevissime ac simpliciter noctem depingit, ita hic fusius eam explanat commotus fortasse eo, quod Herculis somnum a Iove ipso missum narrat his verbis:

*[dixit (Iuppiter) et] arcano redolentem nectare rorem,*
*quem penes alta quies liquidique potentia somni,*
*detulit inque vagi libavit tempora nati.*

Cum sollertia quadam Valerius hoc mostello nescium Herculem certiorem fieri induxit, ubi Hylas esset; quam rationem enarrandi rem, quae antea facta est, iam invenimus (Verg. Aen. I 353 sqq.)[3]) et nonnulli posteriores poetae adhibuerunt. Larva vaticinatur, rem antea factam exponit, solatur[4]). Locutiones Homeri, Vergili, Lucani similes sunt velut versus 27 *stansque super carum caput illius* „στῆ δ'ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς (Ψ 68)[5]); locutio versus 22: *ecce puer*

---

[1]) Pari mode Alcyone Ceycis umbram evanescentem *corpusque petens amplectitur auras* (Ovid. Met. XI 675).

[2]) Cf. Senec. Agam. v. 680.

[3]) Cf. supra p. 37.

[4]) Vide excursum secundum.

[5]) Quam locutionem habemus apud Tibullum (II 6, 8); ibi poeta dicit se ad sororis tumulum aggressum neglectos manes amoribus suis mala somnia mittere vetiturum esse exclamans:

*summa se tollere visus ab unda* prope accedit ad illam, quae exstat in versu 8 (Lucan. III) in Iuliae ascensu: *visa caput maestum tollere: tales edere voces* incipit Hylas (v. 27), ut Anchisis larva *tales effundere voces* (Aen. V 723).

In Amyci, Bebrycum regis, et Pollucis certamine umbrae eorum, qui ab Amyco interfecti erant, cum a Plutone, ut ad poenae spectacula admitterentur, petivissent, a deo missae ascendunt; dum ascendunt, summi montis culmina nigrescunt (IV 257 sqq.). In re magni momenti hae larvae apparent ab inferorum deo ipso missae, ut id, quod spectare ipsae avent, spectent. Quam ascendendi causam ex populi superstitione repetendam esse puto. Utrum Valerius in litteras hanc ascensus causam introduxerit an a Seneca pendeat, difficile mihi diiudicare videtur esse. Cassandra enim (Sen. Agam. 756 sqq.) suorum manes appellat, ut Agamemnonis neci intersint [1]). Naturam animarum ascensu commoveri videmus, nam montes nigrescunt, qui color in rebus inferis usitatus est [2]). Hanc rem, quam Valerius non ipse finxit, poetae Caesarianorum maxime temporum saepe adhibuerunt atque excoluerunt [3]), quod docent imprimis Seneca,

---

ne

*maestaque sopitae stet soror ante torum;*

eandem invenimus apud Propertium (IV 7), qui Cynthiam videt *incumbere fulcro*, apud Ovidium (Met. XI 655) *ubi Ceycis umbra, coniugis ante torum miserae stetit*; (Fast. III 639), quo loco Dido *ante torum visa est adstare sororis* [= *Annae*]; (Fast. V 457), ubi Remi umbra *visa est adsistere lecto*; apud Claudianum (de bello Gild. v. 329), ubi Theodosii maioris larva *assistit capiti nepotis*, apud Q. Smyrnaeum (XIV 189), ubi Achillis umbra ἔστη ὑπὲρ κεφαλῆς (sc. τοῦ υἱοῦ).

1) Cf. supra p. 49.

2) Confer id, quod Tonderus l. l. p. 7 de nigro rerum infernalium colore scripsit.

3) Ettigius (l. l. p. 370) *pontus* inquit *dies terra quamquam res sunt neque oculis praedita sentiunt adventum; ut sensu solo interdum formidabile quoddam adesse divinamus. quod oculis non perspicimus; montes vallesque resultant pavore et matres ad sinus premunt infantes.* cf. adnot. 4 et p. 346 not. 2.

Valerius, Statius. Praeterea iam apud Vergilium[1]) locus exstat (VI 256 sqq.), quo Hecata adveniente poeta:

*sub pedibus* [inquit] *mugire solum et iuga coepta moveri silvarum.*

Argonautarum expeditionis fama penetrat usque ad inferos (V 82 sqq.)[2]); umbrae avide capita tollere volunt, ut aliquid videant vel audiant. Itaque Sthenelum in Thraciae litore sepultum mittunt, ut praetervehentes Argonautas aspiciat; ille Marti, Herculis comiti, ad bellum contra Amazones profisciscenti similis *ab aequorei consurgens aggere busti* emicat haud secus ac *si sol oriatur*; vix autem haec umbra apparuit, cum sol evanescit noctisque redeunt tenebrae; *ille dolens altum repetit chaos.* Mopsus vates hoc ostentum miratur obnubensque caput manibus vocatis vinum libat atque Orpheus carmina, quae placent manes, canit lyramque dedicat Apollini. Hunc ascensum cum Apollonio comparantes, quanta cum voluptate Valerius in rebus infernis describendis versatus sit, cognoscimus, nam Apollonius breviter hanc speciem narrat. Ut apud illum Sthenelus a Proserpina mittitur, ita apud Valerium umbrae parentum, ad quos filiorum ac nepotum gloria et laus penetravit, visendi cupidine commoti Sthenelum mittunt. Valerius hoc modo apte et scite spectrum introduxit. Eos, quibus simulacrum occurrit, ad sacrificandum et animas deosque implorandos se convertere iam apud Homerum (Ψ v. 101 sqq.) et Vergilium (III 62 sqq. et V 743) aliisque locis vidimus, ut apud Apollonium[3]), quod consentaneum est, cum illum Valerius imitetur. Etiamsi Valerius Apollonii argumentum et sententias prope verbotenus imitatur, e Seneca tamen (Troad. v. 181 sqq.) nonnullas locutiones eum hausisse Stheneli et Achillis ascensum comparantes invenimus. Qua ex re dilucide apparet, id quod iam

---

[1]) Cf. Aen. IV 490 sq.

[2]) Eandem superstitionem iam apud Pindarum habemus (Olymp. 14, 80 sqq.), ubi Echo Asopichi gloriam inferis magno cum gaudio patris nuntiare iubetur.

[3]) Cf. supra p. 27.

supra[1]) dixi, Apollonium vel Valerium Achillis in Nostis larvam ante oculos habuisse. Apud Senecam Achilles depingitur his verbis:

*emicuit ingens umbra Thessalici ducis*
*Threicia qualis arma proludens tuis*
*iam Troia fatis stravit*

et apud Valerium (v. 90 sqq.) Sthenelus

*talis ab aequorei consurgens aggere busti*
*emicuit*[2]).

Praeterea Valerius versuum 95 sq. sententiam e Seneca hausit: apud Valerium legimus

*. . . atque ea vixdum*
*visa viris atra nox protinus abstulit umbra,*
*ille dolens altum repetit chaos*

et apud Senecam (Troad. v. 199 sq.):

*Haec fatus alta nocte divulsit diem*
*repetensque Ditem mersus ingentem specum*
*coeunte terra iunxit.*

Poeta quomodo Phrixus vellus aureum petens ab Aeeta deceptus sit, narrat et Phrixi imaginem per somnum quondam socero apparentem describit. Aeetam *tacitae per tempora noctis* effigie vasta ingentique voce Phrixi simulacrum exterret, regi magnam calamitatem imminere vellusque Medeae, Hecatae sacerdoti, custodiendum esse dicens. Tum visus est vellus demonstrare, cuius splendore tota domus fulgebat. Socer perterritus e lecto surgit patriumque numen et Solem precatur (V 231 sqq.). Hoc loco nihil novi est; quod vox sonat, non imago ipsa apparet, id poeta fortasse e Vergilio sumpsit, qui Polydori vocem e tumulo sonantem et Fauni ex alto luco redditam pro spectris ipsis adhibet. Hoc loco umbra per vim necati apparet interfectori, quam opinionem late pervulgatam fuisse supra[3]) exposui. In hoc denique ascensu ad id te delego, quod Langenus[4]) scripsit: *Quod apte*

---

[1]) P. 28.
[2]) Quod Langenus quoque l. l. p. 348 affert.
[3]) P. 54.
[4]) L. l. ad versum 36: *oblata generum mox prole petisti.*

*quidem a Valerio commemoratur ad intellegendum, cur Aeetes ira incensus, ut aureum vellus Iasoni daret, recusaverit, sed non recte fecit, quod ipsum Phrixum haec Aeetae aperientem inducit suadentemque, ut Medeam ex regnis paternis amoveat, nam haec omnia Iasoni populari et cansanguineo adversa erant.*

Valerius, ut vidimus, — illis locis (I 827 sqq. et III 377 sqq.), quibus de inferorum regnis atque animis loquitur, omissis —, ubi de inferis et spectris ascendentibus agitur, in rebus componendis et formandis praecedentes poetas plerumque secutus est.

Nunc ad **Silium Italicum** venimus, praeter Senecam poetam descriptionibus infernalibus uberrimum, qui Punicis suis non tam longa et copiosa somnia atque ascensus quam breviores inferorum narrationes innexuit atque eas multis variisque coloribus rhetorum disciplinae exercitationum more exornavit [1]). Minores brevioresque locos prius tractabo, quam ad maiores accedam.

Elissae aedes, in qua Hannibal se semper Romanorum hostem futurum esse iuraverat, describitur (I 81 sqq.); ibi sacerdos crine effuso [2]) — ut apud Vergilium (Aen. III 65) circum aras Iliades *crinem de more solutae* stant et (IV 508), ubi Dido moritura pyra iussu ipsius erecta deos precatur, versus exstat: *stant arae circum et crines effusa sacerdos* —

*Acheronta vocat Stygia cum veste* [3]) [*sacerdos*]
*immugit tellus rumpitque horrenda per umbras*

---

1) De necyia (XIII 394 sqq.) accurate egit Ettigius l. l. p. 377 sqq.; cf Nordenum, l. l. p. 348, 1.

2) Similes sententias exhibent Horatius loco (sat. I 8, 24) quo evocationem noctu a saga Canidia factam describit, quae pedibus nudis passoque capillo sacrificat, et Seneca (Med. 755), ubi Medea *vulgus silentum feralesque deos* advocans haec loquitur:

*Tibi more gentis vinculo solvens comam*
*secreta nudo nemora lustravi pede.*

3) Nigra palla succincta est Canidia (Horat. sat. I 8, 23), sacerdos *funesto amictu integit corpus* et *lugubris imos palla perfundit pedes*, quae in Laii evocatione describitur (Sen. Oed. v. 553); vestitus magis formidabilis memoratur apud Lucanum (VI 654), ubi Thessala vates:

*sibila inaccensi flagrant altaribus ignes*
*tum magico volitant cantu per inania manes*
*exciti vultusque in marmore sudat Elissae.*

Multa harum sententiarum exempla afferam, quae praecipue in rhetorum officina floruisse verisimile est: Apoll. IV 1280, Lucret. I 123 (quem versum Vergilius Aen. I 354 et VII 89 imitatus est), VI 32 sqq., Verg. Aen. VI 293 sq., Val. VII 401. Versus 95 sententiam iam supra [1]) invenimus.

Alio loco (II 296) Hannibalem e x a g i t a n t m a n e s f u r i a e q u e p a t e r n a e ad bellum, quod Silius ex Livio (XXI 10)[2]) hausit, et (III 139 sq.) Hannibal uxori suae, ne ad bellum proficiscatur, petenti, se a manibus et ab increpitantis genitoris umbris stimulari respondet, qui locus a Vergilio pendet, nam Aeneas ipse quoque Didoni, quae eum retinere conatur (IV 351 sqq.), se a patris imagine terreri dicit [3]).

Ubi de oppugnatione Sagunti agitur, hic locus exstat (II 426 sq.):

*Parte alia supplex infernis Hannibal aris*
*arcanum stygia libat cum vate cruorem,*

quod nos revocat ad Ulixis ante Tiresiae evocationem sacra.

---

*discolor et variis furialis cultus amictu*
*induitur vultusque aperitur crine remoto*
*et coma vipereis substringitur horrida sertis.*

[1]) P. 56, 56, 3. Addas hos locos: Lucan. III 418, ubi Gallorum lucus sacer depingitur:

*. . . iam fama ferebat*
*saepe cavas motu terrae mugire cavernas*

et Sen. Thyest. 675 sq., ubi

*saepe latratu*
*nemus trino remugit.*

[2]) *Hanno unus adversus senatum causam foederis magno silentio propter auctoritatem suam, non cum adsensu audientium egit: . . .* n o n m a n e s, n o n s t i r p e m e i u s c o n q u i e s c e r e v i r i, *nec umquam donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura Romana foedera.*

[3]) Cf. supra p. 35.

Sagunto oppido deleto poeta (II 704 sq.)

*saepe* [*inquit*] *Saguntinis somnos exterritus umbris*
*optabit* [*Hannibal*] *cecidisse manu.*

Iam apud Lucanum[1]) tales exclamationes invenimus, quas ex rhetorum disciplina fluxisse puto[2]).

Flaminius Corvino respondet (V 127 sqq.) vati, qui prodigiis territus, ne ad pugnam apud Trasumennum faciendam proficiscatur dux, monet, se incitari ab umbrarum agminibus nocte atra circumvolitantibus et ab eorum simulacris, qui Trebiae gurgite et Eridani aquis volvuntur. Hoc quoque loco antiquam animarum, quae insepultae vagantur, opinionem habemus[3]).

Dum ad lacum Trasumennum acerrime pugnatur, terrae motus fit[4]) (V 611 sqq.), quem poeta his verbis describit: (v. 615 sqq.)

*immugit penitus convulsis ima cavernis*
*dissiliens tellus nec parvos rumpit hiatus,*
*atque umbras late Stygias immensa vorago*
*faucibus ostendit patulis: manesque profundi*
*antiquum expavere diem...*

Similes sententias priores poetae proferunt, ut Homerus (Y v. 57 sqq.), ubi de Neptuno haec legimus magno cum tonitru terram movente:

. . .αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξεν
γαῖαν ἀπειρεσίην ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα·
πάντες δ'ἐσσείοντο πόδες πολυπίδακος Ἴδης
καὶ κορυφαὶ Τρώων τε πόλις καὶ νῆες Ἀχαιῶν·

---

1) Cf. supra p. 58.

2) Simili modo Cicero (pro Caelio § 33) Appium Claudium elicit, qui Clodiae exprobret, quod voluptatibus dedita vitam turpissimam agat.

3) Huius opinionis exempla sunt: Aeschyl. Prom. v. 566 sqq. [cf. Ovid. met. I 724], Val. Max. I 8, 8, Octav. v. 721 sq., Plut. Cim. 6, Quaest. Hom. § 1, Suet. Ner. 34, Paus. VI 6, 8, Schol. ad Lycophr. v. 1030 alia.

4) Quem Livius quoque (XXII 5 sq.), Cic. de div. I 35, Plinius n. h. II 84 tradunt.

ἔδεισεν δ'ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων 'Αϊδωνεύς,
δείσας δ'ἐκ θρόνου ἆλτο καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθεν
γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
σμερδαλέ' εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ;

ut Vergilius (VI 256 sq.)[1]) et (VIII 241 sqq.), ubi quomodo Hercules monstrosi illius Caci, qui furatus boves antro se occultaverat, latebras detexerit, his versibus describitur:

*at specus et Caci detecta apparuit ingens*
*regia et umbrosae p e n i t u s p a t u e r e c a v e r n a e:*
*non secus ac si qua penitus vi t e r r a d e h i s c e n s*
*infernas reseret sedes et regna recludat*
*pallida, dis invisa, superque immane barathrum*
*cernatur, t r e p i d e n t i m m i s s o l u m i n e m a n e s;*

ut Lucanus (VI 742 sqq.), ubi Erictho militis cadaver carminibus magicis ad vitam revocans Plutoni minatur se *ruptis cavernis Tartaro immissuram esse Titana.* Silius Vergilii imprimis vestigia pressit, cuius locutiones adhibet: eaedem sunt *immugit dissiliens tellus* et *sub pedibus mugire solum* (Aen. VI 256) et *terra dehiscens* (Aen. VIII 243);

*manesque profundi antiquum expavere diem*

et *trepident immisso lumine manes* (VIII 246).

Alio quoque loco, in Averni fluminis descriptione, apud Silium (XII 126 sqq.) habemus similes versus:

*Hinc vicina palus (fama est Acherontis ad undas*
*pandere iter) caecas stagnante voragine fauces*
*laxat et horrendos aperit telluris hiatus*
*interdumque novo perturbat lumine manes*[2]).

Et has et sequentes eiusmodi descriptiones ab Homero creatas in rhetorum officina ornatas in litteras manavisse pro certo habeo.

Marus, ubi res a Regulo gestas Serrano narrans hastam demonstrat eiusque fata explicat, se nemus quoddam explorare

---

[1]) Cf. supra p. 57.

[2]) De luce manibus obnoxia vide supra p. 36, 41, 41, 1.

voluisse dicit, cum ad Bagradam flumen versaretur, ibique (VI 179 sq.) solum resonuisse ac manes ex tellure processisse.

In pugnae Cannensis prodigiis (VIII 641 sq.):

*Iudificante etiam terroris imagine somnos*
*Gallorum visi bustis erumpere manes,*

quod omen simillimum est illi quod est ante bellum civile apud Lucanum (I 580)[1].

In alio quoque prodigio, quod ante legationis, quae Hannibalem in Africam revocet, adventum fit, larvae ascendunt (XVII 160 sqq.); Hannibal gravibus curis sollicitus dormivit

*et fera ductoris turbabant somnia mentem...*
*cernere Flaminium Gracchumque et cernere Paullum*
*visus erat simul adversus mucronibus in se*
*destrictis ruere atque Itala depellere terra;*
*omnisque a Cannis Trasumennique omnis ab undis*
*in portum impellens umbrarum exercitus ibat;*
*ipse fugam capiens notas evadere ad Alpes*
*quaerebat terraeque ulnis amplexus utrisque*
*haerebat Latiae donec vis saeva profundo*
*truderet et rapidis daret asportare procellis.*

Larvae sollicito occurrunt, quam umbrae introducendae rationem saepe invenimus, et nox describitur. In hoc prodigio poeta magis studuit argumento elaborando quam formae. Mirum est quod Lucanus[2]) et Silius talia prodigia exhibent, atque ego quidem Silium hoc animarum ascensus genus ex Lucano hausisse arbitror.

Pacuvius, ne filius Hannibalem necet, dissuadet (XI 346), nam ei Romanorum cladem Paulique ingentem umbram ante oculos versaturas esse.

Pediano Poenum quendam Pauli spolia ferentem persequenti subito Pauli simulacrum e sedibus inferis emersisse arma poscens[3]) videtur (XII 234 sq.).

---

[1]) Cf. supra p. 52.

[2]) Cf supra p. 52 sq.

[3]) Hic locus ab illo Valeriano (IV 257 sqq. cf. supra p. 56) pendet aeque ac Stat. Theb. XI 420 sqq., Claudian. in Eutrop. I, v. 451 sqq.).

Denique[1]) ad eum ascensum pervenimus, in quo, quantum Silius ab antecedentibus poetis pendeat, dilucide demonstrare possumus (XV 180 sqq.). Ante Carthaginis Novae expugnationem Scipioni per somnium patris mostellum apparet, quod eum ad oppugnandum incitans victurum esse praedicit et, quomodo Carthago Nova oppidum conditum atque ortum qualeque sit, explicat. Post eius abscessum Scipio ad predandum se convertit. Hoc loco nulla earum particularum desideratur, quae ad somnii speciem recte componendam et formandam necessariae sunt: poeta noctem describit, quam vim larva exhibeat et apparens et evanescens, affert incitandi formulam addit ([v. 198] quae exprimitur verbis *invade hanc urbem* et [v. 190 sq.] *absiste labore ancipiti sed nec segnis potiora capesse*). Silius ita spectrum introduxit, ut prodigii loco maiorem rem praenuntiantis appareat. Quod consilium poeta habuerit, non satis liquet; id quidem perspicuum est Silium patrem Scipioni suadere facere, ne occasionem urbis opulentissimae potiundae praetermittat. Quomodo Silius illum Vergilianum locum (V 721 sqq.) imitatus sit, poetarum versus inter se comparantes demonstrare possumus. Apud Vergilium exstant hi versus:

721 *et nox atra polum bigis subvecta tenebat*
722 *visa dehinc caelo facies delapsa parentis*

---

[1]) Non aliter ac Lucanus Italiae imaginem Caesari apparentem facit (I 185 sqq.), apud Silium Latii simulacrum C. Claudium Neronem, qui in Lucanis adversus Hannibalem castra posuerat, per somnia monet ut illi obsistat (XV 546 sqq.). In huius speciei forma et compositione nonnullas particulas — ut apud Lucanum (cf. supra p. 50,2) — invenimus, quas poetae in animarum ascensu adhibere solent, quibus dormientes, ut expergiscantur, incitantur. Nam imago iuvenem, ut expergiscatur, bis adhortatur (v. 548 verbis *rumpe atque expelle quietem* [cf. supra p. 49,2] et v. 556 *surge, age, fer gressus*; porro quam vim species in Claudium Neronem exhibeat, his verbis depingitur: [Claudius Nero]

*rumpit flammato turbatus corde soporem*
*ac supplex geminas tendens ad sidera palmas*
*tellurem noctemque et caelo sparsa precatur*
*astra ducemque viae tacito sub lumine Phoeben*

723 *Anchisae subito tales effundere voces:*
724 *nate, mihi vita quondam, dum vita manebat*
725 *care magis, nate*[1])

et apud Silium:

180 *nox similes morti dederat placidissima somnos*
181 *visa viro stare effigies ante ora parentis*
182 *atque hac aspectu turbatum voce monere:*
183 *nate, salus quondam genitoris, nate parentis*
184 *et post fata decus. . .*

Utroque loco pater filio apparet et futura praedicens admonet, quid facto opus sit; imprimis mirum est, quod cum locutiones inter se pares sunt tum versuum sententiae vicissim respondent. Post umbrarum abscessum Scipio experrectus pariter atque Aeneas precatur (Sil. XV 202 sq.):

*surgit et infernis habitantia numina lucis*
*ac supplex patrios compellat nomine manes*

et Aeneas (Aen. V 743 sqq.):

*haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignes,*
*Pergameumque larem et canae penetralia Vestae*
*farre pio et plena supplex veneratur acerra.*

Versus 201 sententiam comparare possumus cum Valerio, qui, quomodo Hercules expergiscatur, postquam Hylas evanuit, describit his versibus (IV 41):

*Corpus hebet somno refugaque eluditur umbra*

et v. 43:

*Cum sopor et vano spes maesta resolvitur actu*

et apud Silium legimus:

*cum iuvenem sopor et dilapsa reliquit imago*
*surgit.*

Videmus igitur Silium permultis locis animarum ascensus adhibuisse, larvarum prodigii causa apparentium genus maxime coluisse, antecedentium poetarum vestigia in his pressisse.

---

[1]) **Hos versus Vergilius sumpsit ex Catullo, qui (LXIV 215 sq.) Aegeum haec dicentem facit:**

*gnate mihi longa iucundior unice vita,*
*gnate . . .*

**Statii** Thebais non tanta rerum infernalium multitudine referta est quanta aequalium poetarum carmina epica. Ab his differt Statius umbras introducendi ratione; nam in primo libro (v. 292 sqq.) Iuppiter in deorum conventu, ut Mercurius Laium ex inferis ad Eteoclem ducat, constituit [1]). In secundi libri initio accurate describitur, quanam via avi spectrum ex Orco a Mercurio arcessitum ad superos veniat (vv. 7—65). Seni trepido ac *vulnere adhuc tardo* ad Tartari exitum migranti umbra quaedam, quae Laio ad superos eunti invidet, valedicit; Cerberus, qui Laium emittere non vult, a Mercurio mitigatur. Taenarus, inferorum introitus [2]), accurate describitur, ubi stridorem, punitorum gemitum *atrumque tumultum* Eumenidumque voces agricolae audire dicuntur, quos nonnumquam triformis ianitor — id est Cerberus — perterrendo abegit. Tum Mercurius cum umbra per arva luna plena nitente volitans Thebas pervenit; gemit larva ante domus limen et inire cunctatur:

*ut vero excelsis suamet iuga nixa columnis*
*vidit et infectos etiamnum sanguine currus*
*paene retro turbatus abit.*

Ea nocte Thebas pervenerunt Mercurius et Laius, quam Baccho festam Thebani habebant [3]). Laius ante nepotis torum stans Tiresiae vultus [4]), notum vellus, comas promissas indutus, infula et olivis ornatus, ramo pectus eius tangens ei opprobria facit, quod dormit, cum frater exercitum magnum contra Eteoclem comparet cum Adrasto socero et Tydeo amico foedere iunctus; se ipsum ab Iove missum adesse, ut eum incitet ad pugnam et agitet, ne fratrem in regnum invadere patiatur, sed finibus expellat. Postquam haec locutus est, abscedens veram faciem aperit ramisque ac vellere abiectis

---

[1]) De Homero et Vergilio huius loci auctoribus vide Helmium de Statii Thebaide p. 80, Berol. 1907.

[2]) De inferorum introitu, ubi situs fuerit, vide cum alios tum Prellerum l. l. I[3] 665, Rohdium (Psyche[4] 198, 1).

[3]) Cf. Helmium l. l. p. 75

[4]) Opacos vultus induit Laius, ut apud Senecam (Oed. v. 686 Richt.) eiusdem umbra *opacos vultus in apertum effert* (Leo: opertos v. 628)

. . . *iugulum mox caede patentem*
*nudat et undanti perfundit vulnere somnum.*

Eteocles perturbatus ac perterritus *e toro se corripit*
*vanumque cruorem*
*excutiens simul horret avum fratremque requirit.*

tigris similis, quae ubi venantium tumultum audit, somnum excutit. Saepius iam vidimus larvis, ut aliquem incitarent et stimularent, poetas usos esse; Statius igitur novam ascendendi causam non invenit; poeta spectabat id, ut spectro quippe quod diis auctoribus Eteoclem adhortaretur, ut fratrem revertentem regno arceret, actionem proferret. Novo autem modo Statius larvae ascensum finxit; ceteri enim poetae paucis verbis vel versibus quomodo appareant simulacra exprimunt, Statius ascensum ab Iove in deorum concilio constitui facit et accurate, quanam via umbra ex Orco egressa sit, variis coloribus sententiisque exornans depingit et Laium non sua sed ficta forma indutum apparentem inducit, denique eo, quod spectrum veram faciem detegit, apte et scite ascensum finit. Quamquam haec ingenii et sollertiae esse videntur, tamen accuratius investigantes Statium multorum antecedentium poetarum exempla simul imitatum quasi saturam miscuisse videbimus. Mercurio, ut Laii simulacrum educeret, poeta usus est, quod ad priscam superstitionem, quam apud Homerum iam invenimus, accedit, nam in ω (v. 11 sqq.) Mercurius ψυχοπομπός aureum caduceum tenens interfectorum procorum animas in Tartarum prosequitur et in Euripidis Protesilao maritum ad uxorem educit; apud Homerum etiam breviter, qua via manes volitent, describitur. Porro ille Ovidianus locus (Met. XI 583 sqq.), quo, quae omnino illius poetae virtus insignis est, pingendi artem invenimus, sententiis aliquot congruit cum Statiano. Iris[1]) ab Iunone missa[2]) Somno imperat, ut Ceycis exstincti facie indutus ad Alcyonem

[1]) Similiter Athena Ipthimae simulacrum fingit (δ 795 sqq.)
[2]) Quem locum Statius (X 80 sqq.) imitatus est, ut demonstravit Helmius l. l p 61 sqq.

eat eique per somnia *veros casus* detegat[1]); is Morpheum filium dimittit, qui volat per tenebras ita, ut apud Statium (II 58 sqq.) Mercurius cum Laio, et brevi post *in urbem Haemoniam* pervenit (Stat II 65: ventum erat ad Thebas[1]) et:

*in faciem Ceycis abit sumptaque figura*
*luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis*
*coniugis ante torum miserae stetit,*

pariter ac Laius Tiresiae formam imitatur. Tum Alcyonae se naufragio perisse dicit eamque, ut se defleat et deploret, orat.

*Adicit his vocem Morpheus, quam coniugis illa*
*crederet esse sui; fletus quoque fundere veros*
*visus erat...,*

ita ut Laius (v. 95 sq.) Tiresiae vocem imitatur et simili modo vulnus aperiens *undanti perfundit vulnere somnum* et Eteocles expergiscitur *vanum curorem excutiens* Similiter uterque experrectus perturbatus est, Alcyone (Ovid. XI 677 sq.):

*voce sua specieque viri turbata soporem*
*excutit....*

et (Stat. II 125 sq.):

*Illi [Eteocli] rupta quies, attollit membra toroque*
*erigitur plenus monstris.*

Statium in ascensus compositione Ovidii vestigia pressisse existimo; Vergilium quoque et Senecam[2]) poeta imitatus est. Argumenti similitudo maxima intercedit inter Senecam (Thyest. v. 70 sqq.) et Statium, *quod apud utrumque poetam umbra eadem de causa ex Orco arcessitur.* Porro autem Anchisis et Laii ascensus (Verg. Aen. V 721 sqq.) similitudinem quandam exhibet, nam uterque propinquum ad aliquam rem incitat et locutiones aliquot inter se pares vel similes sunt: Laius (v. 101) *has visus fatorum expro-*

---

[1]) Ut apud Statium Iuppiter Mercurium Laii umbram arcessere iubet, ita apud Ovidium Iuno vel Iris somnio mandat, ut Ceycis umbra per somnia mortem detegat.

[2]) Cf. Helmium l. l. p. 89 sqq.

*mere voces* et Anchisis imago (v. 722 sq.) *visa...subito tales effundere voces*[1]); Laius (v. 115):

*ipse* [inquit] *deum genitor tibi me miseratus ab alto*
*mittit* ...

et Anchises (v. 726):

*imperio* [inquit] *Iovis huc venio*;

Laius (v. 120 sq.):

*dixit et abscedens* (*etenim iam pallida turbant*
*sidera lucis equi*)

et Anchises evanescit (v. 738); nam

*torquet* [inquit] *medios nox humida cursus*
*et me saevus equis Oriens afflavit anhelis*[2]).

Apud Senecam, qui, ut supra[3]) vidimus, saepe cum umbrae evanescunt, tales sententias adhibet, hi versus exstant (Thyest. v. 120 sq.):

*en ipse Titan dubitat, an iubeat sequi*
*cogatque habenis ire periturum diem.*

Laius abscedens aperit veram figuram, quod Statium ex Vergilio vel Homero sumpsisse existimo, qui deos, cum evanescunt, se detegentes faciunt. Helmius hoc loco Statium Senecae exemplar (Thyest. v. 1 sqq.) ob oculos habuisse censet, nam et Laius a Mercurio ductus et Tantalus a Furia incitatus eadem de causa ascendunt. Porro Laius itinere confecto Thebas prope limina nati gemit cunctaturque inire (v. 65 sq.) et

*ut vero excelsis suamet iuga nixa columnis*
*vidit et infectos etiamnum sanguine currus*
*paene retro turbatus abit,*

quod Statius ex Senecae Thyesta hausit (v. 70 sq.), ubi Tantalus petit:

---

[1]) Quam locutionem Silius ex Vergilio hausit, nam in Scipionis necyia (XIII 710) hic versus exstat:

*cui contra tales effundere Scipio voces.*

[2]) Cf. supra p. 35.

[3]) Cf. p. 41.

*abire in antrum carceris liceat mei*
*cubile, liceat*[1]);

Tantalus a Furia incitatus, ut Pelopis domum omnibus sceleribus obruat, sed domum intrans refugit. Simili modo Thyestes in Senecae Agamemone (v. 1 sqq.) — quod Helmium fugit, qui versum 56 affert — inferis relictis dubitat, utrum in Tartarum revertatur necne. His rebus disputatis ego quidem Statium, quamvis huius loci argumentum Senecae Thyestae simile sit, cum ex omnibus tribus poetis et sententias et locutiones sumpsisse tum Ovidii ascensus compositionis exemplum secutum esse arbitror, praesertim cum saepe Ovidium, Vergilium, Senecam, ut demonstravit Helmius[2]), imitatus sit. Tartari Taenarique descriptionem ex rhetorum officina manavisse verisimile est; eam autem umbram, quae Laium e Tartaro egredientem alloquitur, poeta ipse finxisse videtur. Quae Laius *non somni tibi tempus iners* loquitur, Patrocli verbis

εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ

respondet[3]). Hunc autem ascensum apte et scite a poeta fictum esse facile concedimus.

Hypsipyle, quae in Lemno mulieres gesserint, narrans post maritorum caedem uxores solas in magna urbe fuisse, *per culmina autem interfectorum virorum saevi manes spiravisse* explicat (V 312).

Postquam Iuno precibus mulierum Argivarum commota Thebanos somno obruit, Thiodamas vates in Adrasti castris

[1]) Cf. Helmium l. l. p. 41.

[2]) Cf. l. l. p. 58 sqq., 69 sqq., 85 sqq.

[3]) Accedit quod Laius, ut opprobria faciat, e Tartaro evadit. Hanc apparendi causam iam apud Homerum (Ψ 69 sqq.) invenimus, apud Propertium (IV 7), ubi Cynthia poetam sui immemorem ne funeri quidem interfuisse arguit, apud Lucanum (III 8 sqq.), ubi Iulia Pompeio irascitur, quod ocius novum matrimonium iniit. Apud posteros nonnulla huius ascendendi causae exempla habemus: Stat. Theb. X 202 sqq., Claudian. de bello Gild. 285 sqq. et 325 sqq., Nonn. Dionys. XVI 291 sqq., XLVIII 530 sqq. — Laii evocationem omitto, ut quam accurate tractaverint Liedloffius et Braunius, qui eam cum Senecae Oed. v. 530 sqq. comparavit (Rhein. Mus. 22 p. 270 sqq.); cf. etiam Ettigium l. l. p. 372 not. 2 et Helmium l. l. p. 38 sqq.

a deo incensus Adrasto principibusque nunc aggrediendi tempus esse nuntiat (X 201 sqq.), nam sibi noctu Amphiarai larvam, quae ex Tartaro tellure soluta evasisset, apparuisse tum impetum faciendum esse in Thebanos dormientes dicentem et somniantem cuspide sublata stimulantem. Umbra, ut incitet et suadeat, ascendit, quod saepius invenimus; toti scaenae similitudo quaedam est cum illo Vergiliano loco (Aen. V 636 sqq.), ubi Iris simulans se Cassandrae imagine incensam esse adhortatur, ut naves comburant, mulieres Troianas. Duobus locis Iris et Thiodamas umbrae, quae vehementer ad aliquam rem stimulant, ascensum narrant, utroque loco vates se ostendit. Ascensus ipse prodigii causa, priusquam res in discrimen veniat, adhibetur et actionem promovet. Statii proprium est ab imagine somniantem seu ramo (Theb. II 100) seu sceptro tangi (X 212). In compositione nihil novi est; umbra nocte silenti[1]) occurrit, assurgit tellure soluta[2]), talis *qualis erat*[3]); incitandi formulam quoque invenimus (v. 210), quam exprimit poeta verbis *vade heia, ulciscere ferro nos saltem.* Animadvertas velim hanc umbram non per somnum fieri, sed vigilanti apparere, quod nos nunc visionem nominanus, nam Thiodamas plane *vanae* inquit *nec monstra quietis, nec somno comperta loquor.*

In Polynicis et Eteoclis certamine *rector Tartareus ipse* porta reclusa manibus Ogygiis, ut fratres pugnantes videant, permittit XI 422 sq.:

> *montibus insidunt patriis tristique corona*
> *infecere diem et vinci sua crimina gaudent.*

Quam sententiam ex Valerio sumpsit Statius[4]), qui larvas Pollucis et Amyci certamen spectantes facit. Hoc quoque loco natura animarum ascensu commovetur[5]).

---

[1]) Similiter Valerius (Arg. V 282) *tacitae per tempora noctis* dicit in Phrixi ascensu.

[2]) Ut apud Ovidium Achilles *exit humo late rupta* (Met. XIII 442), Senecam (Agam. v. 775, Thyest. v. 87) aliisque locis.

[3]) Aeque atque apud Ennium (Annal. I. frgm. 4) et Vergilium (Aen. II 274).

[4]) Hanc Statii imitationem Langenus quoque l. l. p. 297 demonstrat.

[5]) Cf. supra p. 56 not. 3.

Statius igitur, quamquam non multas res infernales Thebaidi suae inseruit, has tamen bene composuit et adhibuit antecedentium vestigia plerumque premens.

Ad ea tempora descendimus, quibus magis magisque cum litterae tum carminum epicorum poesis obmutuit atque poetarum auctoritas minuta est.

Ultimus poetarum epicorum Romanorum **Claudius Claudianus** Alexandrinus in carminibus suis, quae maximam partem plerumque res illa aestate gestas complectuntur, multis locis de manibus quoque eorumque ascensu loquitur. Eum poetas cum epicos tum Caesarianorum temporum imitatum esse consentaneum est.

Is locus quo Alecto, quae Rufinum, ut rerum potiatur, incitet, ex inferis prosilit, his versibus describitur (in Ruf. I 123 sqq.):

> *Est locus extremum pandit qua Gallia litus*
> *Oceani praetentus aquis, quo fertur Ulixes*
> *sanguine libato populum movisse silentem.*
> *Illic umbrarum tenui stridore volantum*
> *flebilis auditur questus simulacra coloni*
> *pallida defunctaque vident migrare figurae.*

Huius loci argumentum non ex certo scriptore sumptum est, quamquam illius loci Statiani (Theb. II 50 sqq.) nonnullis rebus par est, quo haec legimus:

> *...Arcadi perhibent si vera coloni*
> *stridor ibi et gemitus poenarum atroque tumultu*
> *fervet ager, saepe Eumenidum vocesque manusque*
> *in medium sonuere diem letique triformis*
> *ianitor agricolas campis auditus abegit*[1]);

conferas velim cum hoc Claudiani loco illum Senecae (Thyest. v. 688 sqq.), quo per arcis Pelopeae lucum dei inferi manesque catenis gravati volitant, quod describit poeta his verbis :

---

[1]) Qui locus sumptus est e Vergiliano (Aen. VI. 557 sq.), quo Aeneas cum Sibylla ad punitorum loca venit:

> *hinc exaudiri gemitus et saeva sonare*
> *verbera; tum stridor ferri tractaeque catenae.*

*Hic nocte caeca* g e m e r e *feralis deos*
f a m a e s t *catenis lucus excussis sonat*
*ululantque manes. quicquid audire est metus*
*illio videtur: errat antiquis vetus*
*emissa bustis turba et insultant loco*
*maiora notis monstra quin tota solet*
*micare silva* f l a m m a *et excelsae trabes*
*ardent sine igne. Saepe latratu nemus*
*trino remugit. Saepe simulacris domus*
*attonita magnis...*

Apud Senecam igitur similes sententias eiusmodi habemus. Statius etiam alio loco, in Laii evocatione (IV 438 sqq.), haec exhibet:

*...ingentes infelix terra tumultus*
*lucis adhuc medio solaque in nocte per umbras*
*exspirat, nigri cum vana in proelia surgunt*
*terrigenae; fugit incepto tremibundus ab arvo*
*agricola insanique domum rediere iuvenci*[1]).

Hos locos intuentes tales Acherontis descriptiones cum vulgares[2]) fuisse tum in rhetorum officinis excultas esse videmus. Locutiones autem aliquot Claudianus ex prioribus

---

[1]) Hanc umbrarum inter se pugnantium opinionem divulgatam fuisse demonstrant Pausanias (I 32,4) et Philostratus (Her. p. 185 tom. II. ed. Kays.), qui manes inter se pugnantes noctu conspici apud Marathonem et apud Troiam narrant. Hanc sententiam apud poetam nostratem quoque invenimus: H. Heine in carmine quod inscribitur Die feindlichen Brüder, quo alius alium in certamine interfecit, hos versus exhibet:

„Aber nachts im Talesgrunde
Wandelt's heimlich wunderbar,
Wenn da kommt die zwölfte Stunde,
Kämpfet dort das Brüderpaar".

[2]) In omni fere Tartari descriptione punitorum vel damnatorum clamor commemoratur, ut apud Vergilium (Aen. VI 557 sq.), Valerium Flaccum (III 405), Plutarchum (περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου 590 F III p. 528 B.), Lucianum (ver. hist. II 29 et Menipp. necyom. 14); iam apud Homerum de animarum clamore legimus (λ 632 sq. [42 sq.]), ubi umbrae circumvolant Ulixem

poetis hausit[1]; praeter eas, quas modo tractavimus, has invenimus: versus 123 verba *est locus extremum* ... eadem sunt, quae apud Ovidium (Met. VIII 788) *est locus extremis in oris*; verba versuum 124 sq.

*quo fertur Ulixes*
*sanguine libato populum movisse silentem*

respondent illis apud Valerium Flaccum (I 740) in Crethei evocatione, ubi sanguine libato vaticinatur Cretheus, et apud Vergilium, qui (Aen. VI 264) de umbris silentibus loquitur. De stridore animarum vide supra p. 3 not. 1. Illo loco, ut ait Claudianus, *flebilis auditur questus*, velut in Polydori tumulo *lacrimabilis gemitus imo* (Verg. Aen. III 39), et *agricolae vident simulacra pallida defunctasque migrare figuras*, ut Lucretius (IV 34 sq.): *cum* inquit *saepe figuras contuimus miras simulacraque luce carentum* et Vergilius (Aen. I 354) de pallido Sychaei ore loquitur. Voces eiusmodi tum poetis communes erant.

Rufinus, cum Stilichonem imperatoris iussu exercitum contra ipsum coactum reliquisse nuntiatum sit, laetus convivia parat et superbia atque certa victoriae spe commotus terras et urbes nondum captas distribuit (in Ruf. II 324 sqq.); noctu tamen sollicito umbrae eorum, quos necaverat, apparent, e quibus una eum omni plebe altiorem rediturum vulgi manibus portatum iri vaticinatur. Quo ambiguo oraculo Rufinus deceptus omnia bene eventura esse sperat, sed vincitur, corpus eius dilaceratur, caput in cuspide praefixum super populi capita portatur. Magna cum sollertia poeta hoc loco gaudio Rufini tristem exitum opposuit. Claudianus cum ex Vergilio aliisque hausit locutiones nonnullas tum Silium in hoc ascensu componendo ante oculos habuit, ut

---

. . . οἳ πολλοὶ περὶ βόθρον ἐφοίτων ἄλλοθεν ἄλλος
θεσπεσίῃ ἰαχῇ· et
ἀλλὰ πρὶν ἐπὶ ἔθνε᾽ ἀγείρετο μυρία νεκρῶν
ἠχῇ θεσπεσίῃ.

[1]) Nonnullos locos, quos comparandi causa attuli, collegit Gramlewiczius (in Claud. edit. Ieepii II p. 76 sqq) et Birtius in editione Claudiani.

mihi videtur, quamquam eadem ratione spectrorum ascensum cum actione praecedenti conectit qua Vergilius Hectoris umbram quae post epulas et convivium Aeneae apparet (Aen. II 265, 268 sqq.); sic item Rufinus ante illud somnium convivia celebrat (v. 320 sqq [1]). Hannibal, priusquam legatione in Africam rovocetur (Sil. XVII 160 sqq.)[2]), in somniis Flaminii aliorumque umbras aspicere sibi videtur; utroque loco apparent eorum umbrae, qui per vim ab eo, cui occurrunt, interfecti sunt, utroque loco ante rem quandam magni momenti ascendunt, utroque loco res adversas portendunt — quamquam apud Claudianum ambiguum spectrorum oraculum Rufinus prosperum ducit —; praeterea versus 326 sqq.:

*ille diu curis animum stimulantibus aeger*
*labitur in somnos; vix toto corde quierat*
*ecce*[3]) *videt...*

simillimi sunt versibus 160 sq. apud Silium:

*et fera ductoris turbabant somnia mentem*
*namque gravis curis carpit dum nocte quietem*[4]).

In vv. 436 sqq. de Tartaro loquitur poeta: Rufinum ad lacus infernos adeuntem umbrae ab ipso peremptorum *ad ius rapiunt*[5]). Omnino poeta compluribus locis de inferis loquitur, imprimis in eo carmine, quod inscribitur Raptus Proserpinae.

---

[1]) Locutiones Vergilianas congessit Birtius (p. 46). Exempli causa hos inter se similes versus affero: Vergilius scribit (Aen. II 268 sq.)

*Tempus erat quo prima quies mortalibus aegris*
*incipit*

et Claudianus (v. 324)

*coeperat humanos alto sopire labores*
*nox gremio*

[2]) Cf. supra p. 68.

[3]) Hanc locutionem in Hectoris umbra (Verg. Aen. II 270) et in Hylae ascensu (Val. Flacc. IV 22) habemus.

[4]) Haud scio an Claudiano Valerius ante oculos versatus sit, apud quem (V 88 sqq.) umbrae cupientes Argonautas aspicere unam ex iis mittunt, Sthenelum; similiter *dirae umbrae alludunt* Rufinum, *quarum quae clarior una visa loqui est.*

[5]) Quem locum perscrutatus est Ettigius l. l. p. 387 (et 365 865 not. 2).

Ex rhetorum officina ille locus (in Eutrop. I 451 sqq.) fluxit, quo Claudianus mortuos nobiles Romanos et consules adhortatur, ut ex tumulis erumpant Eutropio ut consulatu indigno succensentes; eiusmodi exclamationes apud Senecam[1]), Lucanum[2]), Silium[3]) invenimus.

Cum Roma et Africa se a Gildone vehementer premi querantur, Iuppiter eas se adiuturum esse pollicetur (de bello Gild. v. 235 sqq.); a caelo ad Arcadium et Honorium Theodosios minorem et maiorem mittit, qui eos, ut Gildonem bello persequantur, incitent. Noctu ad filium et nepotem veniunt. Filius Theodosii minoris umbram salutat prae gaudio lacrimans; pater ei opprobria facit, quod fratres non unanimi hostem Gildonem ingrediantur. Honorio avus item exprobrat, quod nunc Africam Gildo teneat tot tantisque cum laboribus periculisque a Romanis expugnatam occupatamque; exsurgat nepos e toro, invadat rebellem, desistat morari. Fratres his verbis incitati bellum parant. Honorius socero Stilichone arcessito sibi per somnum Theodosium apparuisse et futura praenuntiasse dicit. Hoc loco larvae incitando actionem promovent. Introducendi ratio eadem est, quae apud Homerum et posteros poetas usui est: di aut Iuppiter ipse in deorum conventu consilio aliquo capto nuntium mittunt. Quod hic agitur de mostello, Laii ascensus apud Statium (Theb. II 7 sqq.) nobis in mentem venit; utroque loco quanam via umbrae ad suos pervenerint, narratur. Similitudinem quandam sententiae aliquot exhibent, nam apud Statium (Theb. II 59 sq.), ubi Mercurius et Laius ex inferis evaserunt, hos versus invenimus:

> *inde per arcturum mediaeque silentia lunae*
> *arva super populosque meat. Sopor obvius illi*
> *noctis agebat equos*

et apud Claudianum (v. 213 sqq.)

---

1) Cf. supra p. 49.
2) Cf. supra p. 58.
3) Cf. supra p. 61.

*humentes*[1]) *iam noctis equos Lethaeaque somnus frena regens tacito volvebat sidera cursu*

et apud eum luna aliquid valet (v. 223):

*circulus ut patuit lunae secuere meatus diversos*

et v. 227:

*Quem simul ut vidit natus, nam clara nitebat Cynthia*;

ubi animadvertas velim Claudianum speciem veram, non vanam somni imaginem putari velle, cum Theodosii maioris larva dormienti mandata det (v. 331 sqq.) Licet huic ascensus parti Statius exemplar praebuerit, in posteriorem Hectoris apud Vergilium ((Aen. II 268 sqq.) larva magnam vim exhibuit. Nam Hectorem advenientem Aeneas flens alloquitur (v. 279 sq.).

*...ultro* [inquit] *flens ipse videbar*
*compellare virum et maestas expromere voces*

aeque atque apud Claudianum (v. 227 sqq.):

*quem simul ut vidit natus...*
*...permixto tremuerunt gaudia fletu.*

Utrumque igitur advenientem umbram alloqui videmus. Porro verba et sententiae apud Claudianum et Vergilium non modo simillima sed eadem fere sunt. Aeneas (Verg. Aen. II 281 sqq.):

*o lux* [inquit] *Dardaniae, spes o fidissima Teucrum, quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris exspectate venis? Ut te post multa tuorum funera, post varios hominumque urbisque labores defessi aspicimus? Quae causa indigna serenos foedavit vultus aut cur haec vulnera cerno?*

Arcadius (v. 230 sqq.):

---

[1]) Similiter Vergilius in Anchisis ascensu (IV 351 sq.)
*quotiens humentibus umbris*
*nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt.*

*ó mihi* [inquit] *post Alpes nunc primum reddite*
*unde tuis optatus ades? da tangere dextram*[1])
*qua gentes cecidere ferae, quis tale removit*
*praesidium terris, ut te mortalia pridem*
*implorant lugentque pium fortemque requirunt.*

Ad hanc allocutionem neque Hector neque Theodosius quicquam respondent. Idem habemus apud Vergilium (v. 288): *graviter gemitus imo de pectore ducens* et apud Claudianum (v. 235):

*cui pater in tales rupit suspiria voces.*

Theodosius maior ad Honorii caput adsistit[2]), ut apud Homerum Patroclus (Ψ 68); versus 349 sq.:

*Quid dubitas? Exsurge toris, invade rebellem*
*captivum mihi redde meum, desiste morari*

ad Silii de Scipionis patris ascensu versus (XV 190 sq. et 197):

*...absiste labore*
*ancipiti sed nec segnis potiora capesse*

et

*invade aversis, nate, hanc ductoribus urbem*

nos revocant.

Honorius Stilichoni arcessito sibi avum apparuisse per somnos nuntiat (v. 354 sqq.), item Achilles post Patrocli abscessum somnium suum amicis et sociis narrat (Ψ 103 sqq.).

Omnia quae de Claudiano diximus complexi poetam antecedentium exempla imitantem et alia atque alia mutuantem non inepte animarum ascensus ad carmina sua componenda adhibuisse videmus.

Claudianus Alexandriae in Aegypto natus erat, ubi imperatorum auspiciis quarto et quinto saeculo p. Chr. n. Graecorum litterae ultimum reviviscebant et carmina epica aliquamdiu florebant; apud duos illius aetatis poetas, qui auc-

---

[1]) Quae verba etiam ex Vergilio (Aen. VI 697) hausta sunt, ubi Aeneas patri in Tartaro obvius orat, ut accedat propius, verbis: . . . *da iungere dextram* cf. Ψ 97, λ 211.)

[2]) Cf. supra p. 55, not. 1.

toritate quadam inter antiquos poetas epicos utuntur, Q. Smyrnaeum et Nonnum, animarum ascensus invenimus.

Primo ad **Q. Smyrnaei** Posthomerica nos convertamus. In quarto decimo libro (v. 179 sqq.) Neoptolemo per somnum Achillis umbra apparet et, postquam filio se inter deos receptum esse nuntiavit et praecepit, ut semper fortem se praeberet, viris grandibus natu obtemperaret aliaque postulat de rebus a se gestis monens, ut sibi Polyxena mactetur minaturque, nisi Graeci sibi obtemperaverint, se eos tempestate vexaturum esse. Fumi similis evanescens in Elysii campos abit. Hunc ascensum Smyrnaeus adhibuit, ut praecepta et consilia daret; nam carmine suo id spectabat, ut iuventutem educaret atque institueret. In compositione ab Homero plane pendet; primum apud utrumque poetam, quae sit larva narratur eiusque facies describitur; apud Homerum haec legimus (Ψ 65 sqq.):

ἦλθε δ'ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο
πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα
καὶ φωνήν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο·
στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς

et apud Smyrnaeum (v. 180 sqq.):

δὴ τότ' Ἀχιλλῆος κρατερὸν κῆρ ἰσοθέοιο
ἔστη ὑπὲρ κεφαλῆς οὗ υἱέος, οἷος ἔην περ
ζωὸς ἐών, ὅτε Τρωσὶν ἄχος πέλε, χάρμα δ'Ἀχαιοῖς.

Utroque loco similiter, quomodo evanescant umbrae, exprimitur; apud Homerum habemus (Ψ 100 sq.):

..ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠύτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυῖα· ταφὼν δ' ἀνόρουσεν Ἀχιλλεύς ..

et apud Smyrnaeum (v. 223):

ὣς εἰπὼν ἀπόρουσε θοῇ ἐναλίγκιος αὔρῃ.

Poeta consulto, ut ego existimo, pro locutione ἀνόρουσεν posuit ἀπόρουσε. Neoptolemus expergiscitur, id quod Smyrnaeus exprimit his versibus:

..ὁ δ' ὁππότε μιν λίπεν ὕπνος
μνήσατο πατρὸς ἑοῖο· νόος δέ οἱ ἠὺς ἰάνθη.

Item Penelopa, cui Athena Ipthimae simulacrum miserat, post eius abscessum expergiscitur (δ 839); haec legimus:

...ἡ δ' ἐξ ὕπνου ἀνόρουσεν
κούρη Ἰκαρίοιο· φίλον δέ οἱ ἦτορ ἰάνθη.

Quinti loco filio soli, non toti Graecorum exercitui apparet Achilles Polyxenam flagitans. Videmus igitur his rebus explanatis Quintum nihil aliud nisi praecedentium exempla imitantem hunc ascensum finxisse.

**Nonnus** quattuor locis animarum ascensus carmini suo, quod Dionysiaca inscribitur, inseruit omnibusque locis somnii species usurpavit. Actaeonis spectrum (V 412 sqq.), cum parentes nihil nisi filium interfectum esse cognoverint, in somnis apparet, ut patri, qualis faciei sit, describat et a Diana, quam corpus lavantem aspexerit, in cervum mutatum et a suis canibus dilaceratum esse nuntiet. Tum patrem, ne quam vim canibus, qui ipsum interfecerint, inferat, hortatus admonet, ut ossibus collectis sepultisque in tumulo pharetram et sagittas ponant[1]) et statuam epithaphio privam erigant. Aristaeus pater experrectus prosilit et uxori e somno suscitatae somnium narrat; mater filii ossa quaerens invenit atque collecta humat, in tumulo, ut ille iussit, ponit. Poetae nonnunquam, ut supra[2]) vidimus, umbras aliquid antea factum narrantes adhibere solent, id quod apte contulit Nonnus ad Actaeonis larvam. Nam matri, quae filium magna cum cura quaesitum nusquam invenit, noctu mostellum casum enarrat. Larva petit, ut sepeliatur, quod iam apud Homerum habemus. Koehler[3]) hanc speciem ex tragicis Graecis, qui Actaeonis fabulam egerunt[4]), Nonnum hausisse putat praecipue eo commotus, quod pro innocentibus interfectoribus Actaeon supplicat. Etiamsi ille recte opinatus est — praesertim si Polydori imaginem Euripideam intuemur — mihi quidem ascensus compositionis exemplum Nonno Homerus[5]) praebuisse videtur. Praeterea tragicos quoque,

---

[1]) Item Elpenor Ulixem, ut in tumulo remum erigat, orat (λ 77).

[2]) Cf. p. 37.

[3]) Ueber die Dionysiaka des Nonnus, Halle 1853, p. 12.

[4]) Phrynichus, Aeschylus, Iophon, Cleophon (cf. Welckerum l. l. p. 49 et 1010).

[5]) Quam sententiam Heyius quoque l. l. p. 16 protulit.

ut supra vidimus, in animis apparentibus ab Homero pendere constat. Koehler[1]) ipse Nonnum saepe Homeri cum multas locutiones tum sententias et scaenas imitatum esse concedit. Sed ad singula aggrediamur. Utroque loco primum larvae per somnium sepulturam poscunt, eaedem deinde sunt speciei partes: parentes dormiunt (vv. 408—411), ψυχὴ δ'ἠιθέοιο...πατρὶ παρέστη ut apud Homerum ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο στῆ δ'ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς. Utroque loco facies umbrae describitur: Actaeon apparet στικτὸν ἔχων ἐλάφου σκιόεν δέμας (Nonn. V 413), utraque larva flet, Actaeon ἐκ βλεφάρων δὲ ἔμφρονα δάκρυα χεῦε (v. 413 sq.), Achilli apparet Πατροκλῆος ψυχὴ γοόωσά τε μυρομένη τε. Actaeonis mostellum patrem sic alloquitur (v. 415)[2]):

ὦ πάτερ, ὑπνώεις, καὶ ἐμὴν οὐκ οἶδας ἀνάγκην·
ἔγρεο...

et Patroclus Achillem (v. 69):

εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ 'Αχιλλεῦ.

Postquam simulacrum locutum est

...ἀπροϊδὴς δὲ
ᾤχετο πωτήεσσα· καὶ Αὐτονόης παρακοίτης
ἄνθορεν ὀμφήεντος ἀπορρίψας πτερὸν ὕπνου

et post Achillis verba Patrocli anima:

...κατὰ χθονὸς ἠύτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυῖα[3])· ταφὼν δ'ἀνόρουσεν 'Αχιλλεύς.

Eodem modo et Achilles sociis suis somnium narrat et Aristaeus uxori filii mandata ac verba pronuntiat; apud utrumque poetam eandem sententiam legimus (Ψ 108):

ὣς φάτο [Achilles], τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ'ἵμερον ὦρσε γόοιο

et (Nonn. v. 539):

καὶ γόος ἔπλετο μᾶλλον...

---

[1]) L. l. p. 65.
[2]) Cf. Deiphili in Pacuvii Iliona verba supra p. 28 allata.
[3]) De hac superstitione vide Kretschmerum, Wien. Stud. 1890 p. 180 ff.

Has res comparantes Homeri vestigia Nonnum pressisse videmus.

Hymnus, pastor quidam, qui Nicaeam nympham amaverat, repudiatus ab ea necatus est. Ea autem nocte, qua Nicaea a Baccho amore incenso comprimitur (XVI 202 sqq.), Hymni mostellum apparet eique opprobria facit nunc Hymno necato invitam eam viro in manus convenisse dicens. Anima lacrimans evanescit fumi similis et in Tartarum abit. Furiae similis hoc loco larva apparet et ei poenam dandam esse, qui scelus commiserit, demonstrat, ut supra (p. 50) Iulia (Lucan. III 8 sqq.) et manes per vim interfectorum (Val. Flacc. IV 258 sqq., Stat. Theb. XI 420 sqq., Claudian. in Ruf. II 234 sqq.), denique legentis misericordiam movet. Hunc ascensum Nonnus invenit et fabellam, quae in Alexandrinorum [1]) imitatione posita est, ornavit. Ceterum haec larva usitatas ascensus partes exhibet nonnullaeque locutiones ex Homero fluxerunt. Exempli causa affero versus 302 sqq.:

> ὣς φαμένη σκιόεντι πανείκελος [2]) ἔσσυτο καπνῷ
> ψυχὴ δακρυόεσσα [3]) ποθοβλήτοιο νομῆος,
> Ταρταρίην δ'ἀκίχητος ἐδύσατο πάνδοχον αὐλήν

qui similes sunt versibus (λ 150 sq.):

> ὣς φαμένη ψυχὴ μὲν ἔβη δόμον Ἄϊδος εἴσω
> Τειρεσίαο ἄνακτος...

Icarii imago, qui ab ebriis agrestibus necatus et terra conditus erat, Erigonae filiae in somnio occurrit [4]) (XLVII 148 sqq.); accuratissime poeta Icarii faciem describit his versibus:

---

[1]) Ut docuerunt Köhler (l. l p. 74 sq.) et E. Maassius (Herm. XXIV p. 523 sqq.) et Immerwahrius (de Atalanta Berol. 1885 p. 8), qui Nicaeam a Nonno aperte ad Atalantae exemplum fictam esse censet.

[2]) Ψ 100.

[3]) Cf. supra p. 31 not. 1

[4]) ψυχὴ πανείκελος ἔσσυτο καπνῷ (= Ψ 100).

...βροτέῃ δ'ἰσάζετο μορφῇ
κοῦφον ὀνειρείης[1]) σκιερῆς εἴδωλον ὀπωπῆς
ἀνδρὶ νεουτήτῳ πανομοίιον, εἶχε δὲ δειλὴ
σπικτὸν ἀσημάντοιο φόνου κήρυκα χιτῶνα,
αἵματι φοινίσσοντα καὶ αὐχμώοντα κονίῃ
ῥωγαλέον πληγῇσιν ἀμοιβαίοιο σιδήρου.

Manus tollens umbra filiae ostendit vulnera, quae lamentans in somnio flere videtur patrem tam foedatum aspiciens. Ille nece sua exposita adhortatur, ut se defleat, eamque innuptam fore praedicit. Puella experrecta patre quaesito inventoque se suspendit. Quem ascensum apte poeta adhibuit, ut rem antea factam narret et legentes ad misericordiam patris adducat. Et accurata descriptio et narrationis argumentum Ceycem Ovidianum (Met. XI 653 sqq.) nobis in memoriam vocat; utrumque poetam idem γένος Graecum sequi verisimile est. Icarii ascensus argumentum ex Q. Tullii Ciceronis fabula, quae inscribitur Erigona, sumptum esse opinatur Ribbeckius[2]). Fortasse iam apud Ciceronem Icarii spectrum eodem modo filiae necem suam detexit, praesertim cum, ut supra (p. 16 sqq.) vidimus, saepe poetae tragici simulacris uti soleant, ut spectantibus, quomodo perierint, narrent. Icarius vulnus demonstrat scelusque aperit eodem modo quo Sychaeus (Verg. Aen. I 353 sqq.) Didoni *aram et vulnus* ostendit. Num Nonnus hanc rem ex Vergilio sumpsit?[3]).

Baccho amore Aurae et cupiditate cum ea coeundi capto Ariadnae larva in somnio apparet (XLVIII 530 sqq.) eumque, quod amore Aurae inflammatus suique oblitus sit, obiurgat multos eius amores enumerans; Naxi saxa adhortatur, ut Theseum, quem conviciis afficit, advocent. Denique frustra et Theseo et Baccho se opprobria facere confessa fumi similis abscedit. Bacchus sopore discusso Ariadnam miseratus statim nova consilia struit. Hoc quoque

[1]) Hanc quoque locutionem Nonnus ex Homero sumpsit (λ 222), ubi Anticlea Ulixi animae naturam exponit his verbis:

ψυχὴ δ'ἠύτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται.

[2]) L. l. p. 621.

[3]) Koehler l. l. p. 88 fontem huius fabulae ignotum esse dicit.

loco poeta legentes Ariadnae misericordia afficere vult. Ascensus forma eadem est, qua poetae epici uti solent; partes sunt: noctis, apparentis evanescentisque umbrae descriptiones; is, cui larva se ostendit, post abscessum lamentatur.

Locutiones, quas Nonnus ad animarum ascensum formandum ornandumque adhibet, plerumque easdem vel similes esse videmus, qua ex re copiosum non fuisse poetae genus dicendi elucet [1]). Affero has: V 412 ψυχὴ παρέστη et XLVIII 530 sqq. ψυχὴ . . παρισταμένη; XVI 292 ψυχὴ δ'ἠνεμόφοιτος et XLVIII 530 ψυχὴ δ'ἠνεμόφοιτος, V 413 σκιόεν δέμας et XLVII 160 σκιόεις γενέτης, V 533 sq.:

εἶπεν ὀνειρείῃ νοερῇ κεμάς [2]), ἀπροΐδης δὲ [3])
ᾤχετο πωτήεσσα

et XLVII 150:

κοῦφον ὀνειρείης σκιερῆς εἴδωλον ὀπωπῆς·

XVI 293:

παρθένον ὑπναλέην νυχίοις ἐρέθιζεν ὀνείροις

et XLVIII 531:

νήδυμον ὑπνώοντι παρισταμένη Διονύσῳ·

V 534 sq.:

. . καὶ Αὐτονόης παρακοίτης
ἄνθορεν ὀμφήεντος ἀπορρίψας πτερὸν ὕπνου

et XLVIII 564:

καὶ θρασὺς ἔγρετο Βάκχος ἀποσκεδάσας πτερὸν ὕπνου·

V 550 sq.:

πάντα δέ οἱ παρὰ τύμβον ἐπέγραφεν, ὅσσα τοκῆι
ἔννυχος 'Ακταίωνος ὀνειρείῃ φάτο φωνῇ

et XLVIII 532:

. . ψυχὴ . . 'Αριάδνης . . .
ζηλήμων μετὰ πότμον ὀνειρείῳ φάτο μύθῳ·

XVI 302:

ὣς φαμένη σκιόεντι πανείκελος ἔσσυτο καπνῷ [4])

et XLVII 148:

---

[1]) Cf. Schillerum De iteratione Nonniana Diss. Vrat. 1908.
[2]) Id est Actaeon in cervum mutatus.
[3]) Cf. Schillerum l. l. p. 24.
[4]) Cf. Schillerum l. l. p. 42, quem XLVII 148 fugit.

ψυχὴ δ' Ἰκαρίοιο πανείκελος ἔσσυτο καπνῷ
et XLVIII 563:

ὣς φαμένη σκιόεντι πανείκελος ἔσσυτο καπνῷ
hanc vel similem allocutionem Nonnus libenter adhibet ut V 415 sqq.:

ὦ πάτερ, ὑπνώεις καὶ ἐμὴν οὐκ οἶδας ἀνάγκην
ἔγρεο καὶ γίγνωσκε νόθην ἄγνωστον ὀπωπήν,
ἔγρεο..

et XLVII 161 sq.:

ἔγρεο, δειλαίη, καὶ δίζεο σεῖο τοκῆα·
ἔγρεο, καὶ μεθύοντας ἐμοὺς μάστευε φονῆας

et XLVIII 533 sq.:

ἀμνήμων, Διόνυσε, τεῶν προτέρων ὑμεναίων,
Αὔρης ζῆλος ἔχει σε, καὶ οὐκ ἀλέγεις Ἀριάδνης.

Omnia quae de Nonni[1]) larvis diximus, complexi poetam Homerum imprimis imitatum esse videmus; larvae et accuratissime descriptae sunt et legentes misericordia afficiunt; itaque ultimus poetarum epicorum, quos tractare mihi propositum est, testis est et animarum ascensus apud antiquos poetas epicos magni momenti fuisse et formam plus valuisse quam argumentum.

Extremo hoc capite, quomodo animarum ascensus usus apud poetas epicos et scaenicos inde ab Homero usque ad sextum saeculum p. Chr. n. mutatus sit, breviter disseramus. Apud Homerum (Ψ 51 sqq.) somnii speciei forma et compositio constat, quam poetae sequentes epici omnes fere, tragici satis multi imitati sunt. Posteriorum necyiarum evocationumque exemplar Ulixis necyia in λ praebuit, ex qua pauca etiam in ascensus fluxerunt. Tum Achilles in Nostis apparens in multa simili vel eodem modo ficta spectra magnam vim exhibuit. De eiusdem in Iliade parva larva non multa constant. In tragoediis Graecorum animarum

[1]) In Triphiodori, Colluthi, Musaei carminibus animarum ascensus non sunt; Colluthus in Helenae raptu somnii speciem adhibet, quam eodem modo, quo larvarum ascensus formati sunt, composuit. Helena mater (v. 871 sqq.) filiae apparens se Venere consentiente raptam esse dicit; sed hanc ut vivae speciem tractare meum non est.

ascensus habemus hos: Darei evocationem (in Aeschyl. Pers. v. 594 sqq.), quae et Homeri exemplum sequitur et a poeta ipso ficta est; Clytaemestrae umbra Furiae similis (in Eumenid. v. 94 sqq.) in Octaviae fabulam vim exhibuit; in narratis larvis (Pers. 198 sqq., Prometh. v. 563 sq.) Homeri vestigia invenimus. Achillis umbra in Sophoclis Dolopibus incertissima est, eiusdem larva in Troadibus ad Nostorum exemplar ficta. Narrata umbra est Agamemnonis ascensus (Electr. v. 417 sqq.). Euripides spectra, ut prologum narrent, ascendentia induxit: Cresphontem (in Cresph.), Polydorum (in Hec. v. 1 sqq.); narratam quoque speciem brevem (Orest. v. 617 sqq.) exhibet. Comici etiam spectrorum opinionem ad fabulas suas transferunt, ut Cratinus et Eupolis in Chironibus et Demis evocatione eliciunt umbras et Menander in Phasmate eadem superstitione utitur. Alexandrinorum temporibus unum exemplum idque in Argonauticis Apollonii Rhodii habemus, qui Achillem Nostorum imitatus Sthenelum e tumulo evadentem facit. Apud Romanorum et epicos et tragicos multi animarum ascensus nobis praesto sunt. Plautus narrationem umbrae vagantis fabulae argumentum supposuit. Apud tragicos sunt hi ascensus: Deiphili simulacrum in Pacuvii Iliona non minus aperte ex Polydoro Euripideo pendet quam Ennii Polydorus in Hecuba; utrum Patrocli imago in Ennii Hectoris Lutris ipsa prodierit in scaenam an modo narrata sit incertum est; poetam Homeri Patroclum ante oculos habuisse verisimillimum est. Achilles Polyxenam flagitans quomodo ascenderit in Andromacha Aechmaloti, eruere non possumus. In Homeri specie, quae in Annalium prooemio est, pendet poeta ab Homero non aliter atque in Iliae somnio (Annal. I frgm. 28). De Achillis in Accii Neoptolemo nihil certum est; in eiusdem ascensu Troadum poetam Sophoclis vestigia pressisse putamus. Amphiaraus in Epigonis anima utrum sua sponte apparuerit an excitatus sit, nescimus. Vergilius multis locis manibus utitur Homerum plerumque imitatus, nonnulla ipse fingens. Hic habes spectra eius: Sychaei larvam (Aen. I 353 sqq.), Creusae imaginem (II 471 sqq.), Polydori vocem e tumulo sonantem (III 37 sqq.),

Anchisis animam ((IV 351 sqq., V 721 sqq.), Cassandrae speciem (V 636 sqq.), Fauni oraculum (VII 81 sqq.). Transeamus ad imperatorum temporum poetas. Poetae illius aetatis et epici et tragici omnes multa de manibus spectrisque carminibus suis et fabulis inseruerunt. Qui omnes et Vergilium et exempla Graeca imitantur, rhetorum autem disciplina instituti multis variisque coloribus larvas exornant. Itaque apud eos similitudinem quandam in describendis rebus inferis esse probare possumus; ex quonam quisque hauserit, dilucide indagare non possumus. Seneca prologi enarrandi causa larvas apparentes facit, ut Euripides, Tantalum (Thyest. v. 1 sqq.), Thyestam (Agam. v. 1 sqq.), narratas species exhibet ut Laii evocationem (Oed. v. 530 sqq.), Achillis umbram Polyxenam poscentem (Troad. v. 170 sqq.), cuius in compositione ab Ovidio pendet (Met. XIII 440 sqq.), Hectoris simulacrum, quod ad Vergilii exemplar (Aen. II 268 sqq.) finxit, visiones adhibet ut Hectoris (Troad. v. 681 sqq.), Absyrti (Med. v. 963 sqq.), Troianorum, Cassandrae affinium, (Agam. v. 741 sqq.). Agrippina in Octavia (v. 593 sqq.) et Clytaemestrae (Aeschyl. Eum. v. 94 sqq.) et Polydoro (Eurip. Hec. v. 1 sqq.) similis est; Octaviae (v. 115 sqq.) et Poppaeae (v. 730 sqq.) somnia more usitato composita sunt. Lucanus poeta epicus Iuliae ascensum describit (Phars. III 9 sqq.); Crassi species ex rhetorum officina fluxit (XIII 431 sqq.). Libenter poeta aeque ac posteri manibus prodigii causa, cum gravia impendent, utitur. Valerii Flacci narrata Phrixi larva (I 47 sqq.), Alcimedae necromantea (I 730 sqq.), Hylae spectrum (IV 22 sqq.), manes certamen Pollucis et Amyci spectantes (IV 257 sq.), Stheneli ascensus ad Apollonii exemplum fictus (V 81 sqq.), Phrixi socerum exterrens vox (V 231 sqq.), quam vulgata fuerit spectrorum opinio, demonstrant. Quanta cum voluptate in rebus inferis describendis versatus sit Silius Italicus ex multis locis quibus de manibus loquitur, et sententias et locutiones ex poetis praecedentibus hauriens, dilucide apparet, quos locos hic enumero: Pun. I 81 sqq., II 296, 426, 704 sq., III 139 sq., VIII 641 sqq., XVII 160 sqq.,

quae prodigia ad Lucani exempla ficta sunt; XII 234 sqq., XV 180 sqq., ubi Scipionis larva, ut Carthaginem Novam expugnet, filium admonet, quo in ascensu vestigia Vergiliana pressit Silius. Statius in Laii ascensu (Theb. II 7 sqq.) cum ceteros antecedentes poetas tum Senecam (Thyest. initium) imitatus est, Laii evocatio exstat in libro quarto, Amphiarai umbra ad pugnam stimulans simili modo quo Cassandrae (Verg. Aen. V 636 sqq.) narratur; in fratrum certamine manes Ogygii adsunt (IV 258 sqq.), quam scaenam Statius e Valerio (IV 257 sqq.) sumpsit. Claudianus cum ceteros praecedentes poetas tum Vergilium et Statium in Theodosiorum minoris et maioris ascensu (de bello Gildon. 325 sqq.) imitatus est. Ultimi Graecorum poetarum epicorum Q. Smyrnaeus (XIV 179 sqq.) et Nonnus item ex Homero pendent, ille Achillem a filio videri Polyxenam poscentem finxit, cuius ascensus compositionem ex Homero hausit, hic omnibus locis, quibus larvas inducit, somnii species adhibet Actaeonis (V 412 sqq.), Hymni (XVI 202 sqq.), Icarii (XLVII 148 sqq.), Ariadnae (XLVIII 530 sqq.), Homerum imprimis imitatus est.

Animarum ergo ascensus genus ab Homero creatum per saecula apud poetas epicos, tragicos, comicos cultum esse videmus. Omnes ex Homero quasi e fonte hausisse alium aliud mutantem, rem ipsam tenentem neminem fugere potest.

# Caput II.

## De animarum ascensuum generibus.

### 1. Quomodo poetae animarum ascensus genera adhibuerint.

a) Qui homines appareant.

Quae quamquam pars ieiunam et exilem enumerationem continet, tamen ad larvarum e Tartaro evadentium usum recte cognoscendum necessaria est. Primum Graecorum et Romanorum poetarum epicorum locos, deinde tragicorum et comicorum ordine chronologico praetermisso enumerabo, ut manifestum sit, quae quoque in litterarum genere ascensuum ratio adhibita sit. Ac primum perscrutandum est, qui homines appareant. Ut est consentaneum, aliquo modo inter se coniunctos invenimus et propinquos et amicos: patres, matres, maritos, uxores, liberos, fratres, maiores, affines, amicos, amantes. Exempla patrum in Graecorum et Romanorum carminibus epicis ascendentium sunt: Aeneas (Ennii annal. I frgm. 28), Anchises (Verg. Aen. IV 351 sqq., V 721 sqq.), Faunus (VII 81 sqq.), Cretheus (Val. Flacc. I 730 sqq.), Hamilcar (Sil. II 296, III 139 sq.), Scipio (XIII 662 sqq., XV 180 sqq.), Theodosius minor (Claud. de bello Gild. 225 sqq.), Achilles (Q. Smyrn. XIV 179 sqq.), Icarius (Nonn. XLVII 148 sqq.); in Graecorum et Romanorum fabulis; Agamemnon (Eurip. Orest. v. 617 sqq.), Achilles (Accii Neopt.?), Amphiaraus (in Epigonis), Icarius (in Q. Tullii Cic. Erigona cf. Nonn. XLVII 148 sqq.), Laius (Sen. Oed. v. 619 sqq.), Thyestes (Agam. v. 1 sqq.). Matres apparent: Anticlea (λ

152 sqq. = Scipionis mater Sil. XIII 628 sqq.); Agrippina (Octav. v. 593 sqq.); socrus se ostendit: Agrippina (Oct. v. 718 sqq.). Maritorum exempla sunt: Sychaeus (Verg. Aen. I 353 sqq.), maritorum a feminis Lemniis necatorum umbrae (Stat. Theb. V 312); Dareus (Aeschyl. Pers. v. 681 sqq.), Agamemnon (Soph. Electr. v. 417 sqq.), Protesilaus (in Eurip. Protesil ), Hector (Sen. Troad. v. 438 sqq.). Uxorum imagines apparent: apud Vergilium (Aen. II 771 sqq.) Creusa, apud Lucanum (Phars. III 8 sqq.) Iulia, apud Nonnum (XLVIII 530 sqq.) Ariadna. Liberorum exempla sunt: Actaeon (Nonn. V 412 sqq.); Polydorus (Eurip. Hec. v. 1 sqq. et Ennii Hec.), Deiphilus (Pacuv. Ilion. frgm. 4), Hercules (Sen. Herc. Oet. v. 1940 sqq.). Filias ascendentes non invenimus. Fratrum umbrae, quae ex inferis evadunt, sunt: Absyrti, Medeae fratris (Sen. Med. v. 963 sqq.), Britannici, Octaviae fratris (Octav. v. 115 sqq.)[1]. Avorum, maiorum, affinium manes apparent: parentum et propinquorum (Luc. VII 179 sqq.), Phrixi cognati (Val. Flacc. I 47 sqq.), Phrixi generi (V 231 sqq.), Scipionis patrui (Sil. XIII 651 sqq ), Laii avi (Stat. Theb. II 7 sqq., IV 604 sqq.), Theodosii avi (Claud. de bello Gild. 325 sqq.); Cassandrae affinium (Sen. Agam. v. 741 sqq.), Tantali avi (Thyest. v. 1 sqq.), Poppaeae socrus, Agrippinae (Octav. v. 593 sqq.). Amicorum vel familiarium umbras primus adhibet Homerus, Patroclum Achilli apparentem (Ψ 65 sqq.), quem utrum Ennius in Hectoris Lutris prodeuntem fecerit necne incertum est; Elpenoris animam (λ 51 sqq.) invenimus. Amantium quoque mostella, quae post alterius mortem alteri in conspectum veniunt, apud poetas exstant, Hylas Herculi (Val. Flacc. IV 22 sqq.), Hymnus Nicaeae (Nonn. XVI 292 sqq.).

Multos deinde illustres homines, ut cuique notissimi sunt, poetae e Tartaro escendentes faciunt velut Homerus Tiresiam (λ 90 sqq. = Sibyllam Sil. XIII 488 sqq.), Agamem-

---

[1]) Sororum occurrentium unum exemplum praebet Ovidius (Fast III 639 sqq.), qui Didonem Annae apparentem inducit.

nonem (λ 387 sqq.), Achillem, Aiacem, Herculem (λ 467 sqq. = Paulum, Flaminium, Gracchum, Servilium, Brutum, Camillum, Curium [Sil. XIII 705 sqq.], Hamilcarem [Sil. XIII 732 = Aiacem λ 543]), Apollonius Rhodius Sthenelum (Arg. II 911 sqq. = Val. Flacc. V 82 sqq.), Ennius Homerum (annal. I frgm. 4 sqq.), Lucanus (I 580 sqq.) Sullam et Marium, Crassum (VIII 431 sqq.), Silius Aemilium Paulum (XI 436 et XII 234 sqq.), Statius Amphiaraum (Theb. X 202 sqq.), Claudianus Romanos nobiles et claros (in Eutrop. I 451 sqq.); Aeschylus Clytaemestram (Eumenid. v. 94 sqq.), Cratinus Solonem (in Chironibus), Eupolis eundem, Miltiadem Aristidem, Periclem (in Demis); pluribus locis Achillem, ut Polyxena sibi mactetur, poscentem invenimus; quam speciem, quae iam in Nostis exstitit, saepius posteriorum temporum scriptores adhibuerunt ut Sophocles in Polyxena, Euripides in Hecuba (v. 37 sqq. et 109 sqq.), Accius in Troadibus, Seneca in Troadibus (v. 168 sqq.), Q. Smyrnaeus (XIV 179 sqq.). Huic illustrium hominum generi adnectendi sunt heroes et heroides et ii, quos in λ 225 sqq. et in Sil. XIII 808 sqq. habemus, et Hercules (Sen. Herc. Oct. v. 1940 sqq.).

Simulacra vel vi vel crudeli morte interemptorum, quae conspiciuntur, uno genere complector. Habemus haec exempla: Clytaemestram (Aeschyl. Eumen. v. 94 sqq.), hostem ab hospite interemptum (Plaut. Mostell. v. 490 sqq.), manes in pugna interfectorum (Lucan. VII 769 sqq.), Phrixum (Val. Flacc. V 231 sqq.), animas eorum, qui ad Trebiam ceciderunt (Sil. V 127 sqq.), Gallorum imagines (VIII 642) Flaminium, Gracchum, Paulum, Romanos ad lacum Trasumennum et ad Cannas occisos (XVII 159 sqq.), manes Ogygios (Stat. Theb. XI 420 sqq.), necatorum visa (Claud. in Ruf. II 324 sqq.), Hymnum (Nonn. XVI 292 sqq.).

Denique eas larvas quae in apparendo commutatam figuram induunt, enumero, ut Laium (Stat. Theb. II 95 sqq.), qui adveniens Tiresiae similis est, abscedens se aperit (v. 120 sqq.).

Paucis locis nihil nisi vox auditur, ut Polydori vox sonat (Verg. Aen. III 37 sqq.), Sychaei verba et voces percipiuntur ex templo eius (IV 460 sqq.). Fauni vox vaticinatur (VII 81 sqq.); in prodigiis ante pugnam Pharsaliam nocturnae voces emittuntur e campis (Lucan. VII 175).

b) Deinde nobis quaerendum est, utrum umbrae ipsae agentes personae sint an de eis modo, quid faciant vel loquantur, nobis narretur; illud maiorem vim habere quam hoc manifestum est.

α) Omnibus locis Graecorum carminum epicorum, quibus larvae conspiciuntur, animas ipsas loquentes agentesque invenimus velut Patroclum (Ψ 65 sqq.), Sthenelum (Ap. Rhod. II 911 sqq.)[1]), Actaeonem (Nonn. V 412 sqq.), Hymnum (XVI 292 sqq.), Icarium (XLVII 148 sqq.), Ariadnam (XLVIII 530 sqq.), Achillem (Q. Smyrn. XIV 179 sqq.). In Romanorum quoque carminibus epicis haec animarum ascensus ratio praevalet: Anchisae (Verg. Aen. V 721 sqq.), Fauni (VII 81 sqq.)[2]), Iuliae (Lucan. III 8 sqq.), Crethei (Val. Flacc. I 730 sqq.), Hylae (IV 22 sqq.), necatorum ab Amyco umbrarum (IV 258 sqq.), infernarum umbrarum, quae in terrae motu conspiciuntur (Sil. V 611 sqq.)[3]), Scipionis patris (XV 180 sqq.), Flaminii et Romanorum ab Hannibale necatorum (XVI 160 sqq.)[3]), Laii (Stat. Theb. II 7 sqq.), manium Ogygiorum (X 420 sqq.)[3]), spectrorum a Rufino interfectorum (Claud. in Ruf. II 324 sqq.), Theodosiorum minoris et maioris (Claud. de bello Gild. 213 sqq.).

In Graecorum et Romanorum tragoediis plerumque umbras agentes et loquentes invenimus, quod ad spectantium animos percutiendos maxime est idoneum. Qua de causa evadunt e Tartaro: Dareus (Aeschyl. Pers. v. 681 sqq.), Clytaemestra (Eumen. v. 94 sqq.), Achilles (Soph. Dolop. ?), idem in Polyxena, Cresphontes (Eurip. Cresph.), Polydorus (Hec. v. 1 sqq.), idem (Enn. Hec. frgm. 1), Patroclus (Hect.

---

[1]) Qui nihil loquitur.

[2]) De voce dictum est.

[3]) Larvae non loquentes.

Lutr.?), Deiphilus (Pacuv. Ilion. frgm. 4), Achilles (Accii Neopt.?), idem in Troadibus, Amphiaraus in Epigonis (?), Thyestes (Sen. Agam. v. 1 sqq.), Tantalus (Thyest. v. 1 sqq.), Hercules (Herc. Oet. v. 1940 sqq.), Agrippina (Octav. v. 593 sqq.).

β) Larvarum, quae narrantur, apparentium exempla apud poetas epicos et tragicos pauciora sunt quam spectrorum agentium. Graecorum carmina epica nullum huius rei exemplum afferunt, plura Romanorum. Homerum sibi apparuisse Ennius ipse narrat (annal. I frgm. 4 sqq.), et Ilia somnium, in quo patrem vidit, describit (ib. frgm. 28). Vergilius multos animarum ascensus narrat: Sychaei (Aen. I 353 sqq.), Hectoris (II 268 sqq.), Creusae (II 771 sqq.), Polydori (III 37 sqq.), Anchisae (IV 351 sqq.), Cassandrae (V 636 sqq.). Praeterea nobis praesto sunt narratae larvae: Crassi (Lucan. VIII 431 sqq.), Phrixi (Val. Flacc. I 47 sqq.), Hasdrubalis (Sil. III 139 sqq.), Romanorum ad Trebiam occisorum (V 127 sqq.), manium quorundam (VI 180), Paulli (XI 346), Lemniorum necatorum (Stat. Theb. V 312), Amphiarai (X 202 sqq.).

In tragoediis quoque Graecorum et Romanorum animarum ascensus nonnullis locis narratur: Atossa (Aeschyl. Pers. v. 197 sqq.) se Dareum in somniis aspexisse choro nuntiat. Oedipi ascensus describitur (Aeschyl. Sept. v. 709 sqq.); Io se ab Argi spectro angi queritur (Prom. v. 566 sqq.); Agamemnonis spectrum ascendisse dicitur (Soph. Electr. v. 417 sqq.); Achillis umbram evasisse Polydorus in prologo (Eurip. Hec. v. 38 sq.) et chorus (v. 109 sq.) nuntiant; Tyndareus se ab Electra comperisse dicit illi Agamemnonem per somnium occurrisse (Orest. v. 617 sqq.); in Ennii Hectoris Lutris, utrum Patroclus ipse ascenderit an Achillis somnium narratum sit, incertum est[1]). In Andromachae quoque fragmento (8) de Achillis specie narrata nihil constat. Achillis ascensum Talthybius (Troad. v. 168 sqq.), Hectoris Andromacha (v. 442 sqq.), Absyrti Medea (Med. v. 963 sqq.), Laii Creo (Oedip. v. 530 sqq.), Britannici Octavia (Oct. v. 115 sqq.)

[1]) Cf. Ribbeckium l. l. p. 126 et supra p. 24.

narrat; Cassandra vaticinans se suorum simulacra videre exclamat (Sen. Agam. v. 741 sqq.). In comoedia quoque (Plaut. Most. v. 490 sqq.) hospitis per vim interfecti visum Tranio servus narrat.

c) Aliquot locis poeta ipse larvae speciem narrat vel evocat velut Ennius (Annal. I frgm. 4 sqq.) somnium suum; Lucanus (IV 788 sqq.) Curionis exercitus interitum narrans exclamat indignans talem fortunam dirae Carthaginis umbras invisas excitaturam esse. In Pothini coniuratione (X 6 sqq.) poeta Pompei animam vocat, nam eam Caesari saluti fuisse. Similes sententias apud Silium (II 704 sqq.), Claudianum (in Eutrop. I 451 sqq.) habemus, quae certe ex rhetorum schola haustae sunt.

d) Iam quaerendum est, utrum umbrae continua oratione loquantur an ab eo, cui occurrunt, interrumpantur, qua re vices sermonum fiunt. Plurimis locis spectrorum oratio continua neque intermissa est, quia plerumque ii, quibus apparent larvae, terrore vel stupore tam consternati ac perturbati sunt, ut et loqui et respondere non possint. In carminibus epicis his alternis sermonibus raro (duobus vel tribus locis) poetae utuntur, in tragoediis saepius (quinque locis). Iustae vices sermonum non fiunt in Ψ (v. 65 sqq.), tamen iam colloquendi studium sentimus, nam Achilles, postquam Patroclus locutus est, eum alloquitur seque omnia facturum esse et cum amico colloqui velle dicit, ille tamen nihil respondens evanescit. Aeneas autem apparentem Hectorem alloquitur (Verg. Aen. II 281 sqq.), qua de causa veniat et cur tam *foedatus* sit. Arcadius Theodosium minorem sibi occurrentem (Claud. de bello Gild. v. 225 sqq.) laetus salutat atque ex eo, unde veniat, quaerit. In tragoediis autem integros sermones habemus. Dareus, (Aesch. Pers. v. 681 sqq.) primo cum choro, deinde cum Atossa, tum cum choro loquitur. Anteit ascensui chori carmen (carmen magicum vel incantatio) a versu 623 usque ad versum 680 pertinens, tum Dareus apparens trimetris iambicis (vv. 681 —693) loquitur, chorus tribus versibus (quattuor ionicis a maiore et paroemiaco) se regem intueri non audere dicit

(vv. 694—696), Dareus eos, ut respondeant, adhortatur tribus trimetris (vv. 697—699), chorus se res adversas narrare non audere iterum respondet tribus versibus eiusdem metri (vv. 699—702). Tum Dareus cum regina loquitur, ubi basis senorum versuum praecedit severam stichomythiam (vv. 703—714 et 715—738), tum Darei longior narratio sequitur, quam Atossa (vv. 753—758) interrumpit. Inde a versu 787 chorus regem interrogat, quo in colloquio brevis stichomythia fit, quam basis ternorum versuum (vv. 787—792) et bini versus (vv. 796—799) finiunt. Dareus (vv. 800—840) longiore narratione, quae Persarum exercitus fortuna futura sit, demonstrat. Chorus et Atossa maesta lamentatur (vv. 843—851). Sequitur chori carmen. In Eumenidibus (v. 117 sqq.) chorus Clytaemestrae verbis incitatus gemit post binos umbrae versus, in versu 130 exclamat: λαβὲ λαβὲ.., tum finit sermonem Clytaemestra. In Sophoclis Polyxena Achillis animam cum Agamemnone longius locutam esse Welcker opinatus est [1]). Hercules (Sen. Herc. Oet. v. 1940 sqq.) post matris nenias apparet, quae, utrum in Elysio an in Tartaro versetur, quaerit eique se in caelum receptum esse nuntiat (vv. 1940—1943); mater primo perturbata postea, cur quoque modo Ditis regna reliquerit, interrogat (tetrametris dactylicis vv. 1944—1962), ille Tartarum accurate describens matrem ab Eurystheo poenam capturam esse vaticinatur et abscedit (trimetri iambici usurpati sunt a poeta usque ad versum 1976). Alcmena eum, ut maneat, orans amplecti conatur. Chorus brevi cantico virtutem praedicans Herculem celebrat et, ut sibi propitius sit, petit. Peculiaris generis sunt vices loquendi Tantali et Furiae (Thyest. v. 1 sqq.), quae magnam vim in legentium animos habent. Nam Tantalus, ne talia scelera committat, recusans a Furia incitatus, coactus concedit denique. Hos locos perlustrantes reperimus tragoediis exceptis semper primum quaerere eum, cui umbra apparet, neque iustum longiorem sermonem fieri. Integras vices sermonis nusquam nisi in tragoediis habemus. Similes

---

[1]) Griech. Trag. p. 180.

sunt eae larvae, quibus evanescentibus relicti aliquid dicere cupiunt vel dicunt, ut Achilles (Ψ 97 sqq.), Ilia (Enn. Annal. I frgm. 28), Aeneas (Verg. Aen. II 790 sqq. et V 741 sqq.)

e) Aliud larvarum apparentium genus id est, in quo poetae vel scriptores larvas non loquentes faciunt, de quibus brevissime semper narratur. Stheneli autem umbra (Apoll. Rh. II 911 sqq. = Val. Flacc. V 82 sqq.), unicum apud Graecos poetas epicos exemplum, fusius describitur. Apud Romanos plurima exempla habemus, quae omnia fere poetae primi p. Chr. n. saeculi exhibent: Marii et Sullae manes (Lucan. I 580 sqq.), parentum ante pugnam Pharsaliam (VII 178 sqq.), necatorum post proelium (v. 768 sqq.), Pompei (X 6 sq.), Hasdrubalis umbram (Sil. II 296, III 139 sqq.), larvas ad Trebiam (V 127 sqq.), manes in terrae motu ascendentes (v. 611 sqq.), in nemore ad Bagradam flumen (VI 180), Gallorum (VIII 642), Pauli (XI 346 et XII 234), Lemniorum a feminis interfectorum (Stat. Theb. V 312), Ogygia spectra (XI 420 sqq.), manes, quos Ulixes sanguine libato excitavisse dicitur (Claud. in Ruf. I 123 sqq.), Romanorum nobilium atque illustrium (in Eutrop. I 451 sqq.). In Graecorum et Romanorum tragoediis, quibus non tam larga facultas tales non loquentes larvas afferendi est, paucis locis eas invenimus: Dareum (Aeschyl. Pers. v. 197 sqq.), Argum (Prometh. v. 566 sqq.), Agamemnonem (Eurip. Orest. v. 617 sqq.), Britannicum (Octav. v. 115 sqq.).

### 2. Qui animarum ascensus obsecratione atque evocatione fiant et quae spectra sua sponte appareant

Quo loco componere volo, quae larvae obsecrationibus et incantationibus et quae sua sponte ascendant, quarum has breviter enumerabo, quippe quae infra[1]) accuratius tractandae sint; eas dividere possumus in prodeuntes et narratas.

---

[1]) Vide excursum primum.

a) Hic habes agentes umbras evocatione elicitas: animas necyiae in libro λ, apud Lucanum (VI 413 sqq.), Valerium Flaccum (I 730 sqq.), Silium (XIII 394 sqq.), Statium (Theb. IV 406 sqq.); Darei imaginem (Aeschyl. Pers. 598 sqq.), Protesilai (Eurip. Protes.), Achillis (Accii Troad.?), Herculis (Herc. Oet. v. 1940 sqq.); Solonis (in Cratini Chironibus), Solonis, Miltiadis, Aristidis, Periclis (in Eupolidis Demis). Narratae animarum evocationes hae sunt: animarum ab Ulixe evocatarum (Claud. in Ruf. I 123 sqq.); Laii (Sen. Oedip. v. 530 sqq.). Saepissime animae obsecrantur et implorantur, quae non apparent. Hae incantationes, quae sunt plerumque brevissimae, fiunt, cum quis et in periculo versatur et ante rem magni momenti auxilium petit; nonnumquam homines iurant per manes, ad mortuorum tumulos animae advocantur, et ut mitigentur et ut adiuvent.

b) Rationem animarum sua sponte apparentium apud poetas plurimum valere haec exempla docent:

α) in Graecorum et Romanorum carminibus epicis Patroclus (Ψ 65 sqq.), Achilles in Nostis, Homerus (Enn. annal. I frgm. 4 sqq.), Aeneas (I frgm. 28), Sychaeus (Verg. Aen. I 353 sqq.), Hector (II 268 sqq.), Creusa (II 771 sqq.), Polydorus (III 37 sqq.), Anchises (IV 351 sqq., V 721 sqq.), Cassandra (V 636 sqq.), Marius et Sulla (Lucan. I 580 sqq.), Iulia (III 8 sqq.), Phrixus (Val. Flacc. I 47 sqq.), Hylas (IV 22 sqq.), Phrixus (V 231 sqq.), Hasdrubal (Sil. III 139 sqq.), Romani ad Trebiam necati (V 127 sqq.), Galli (VIII 642), Scipio (XV 180 sqq.), Flaminius et Romani mortui (XVII 159 sqq.), Amphiaraus (Stat. Theb. X 202 sqq.), a Rufino necati (Claud. in Ruf. II 324 sqq.), Achilles (Q. Smyrn. XIV 179 sqq.), Actaeon (Nonn. V 412 sqq.), Hymnus (XVI 292 sqq.), Icarius (XLVII 148 sqq.), Ariadna (XLVIII 530 sqq.)

β) In Graecorum et Romanorum tragoediis: Dareus (Aeschyl. Pers. v. 197 sqq.), Oedipus (Sept. v. 709 sqq.), Clytaemestra (Eumenid. v. 94 sqq.), Achilles in Sophoclis Dolopibus?, in Polyxena; Agamemnon (Soph. Electr. v. 417 sqq.), Cresphontes (in Eurip. Cresph.), Poly-

dorus (Hec. v. 1 sqq.), Deiphilus (Pacuv. Ilion. frgm. 4), Polydorus (Enn. Hec. frgm. 1), Patroclus (Hect Lutr.?), Achilles (Accii Troad.? et Neopt.?), Amphiaraus (Epigon.?), Icarius (Q. Tull. Cic. Erigon.?), Achilles (Sen. Troad. v. 168 sqq.), Hector (Troad. v. 438 sqq.), Absyrtus (Med. v. 963 sqq.), Thyestes (Agam. v. 1 sqq.), Tantalus (Thyest. v. 1 sqq.), Britannicus (Octav. v. 115 sqq.), Agrippina (v. 593 sqq.).

### 3. Quae larvae in somniis appareant.

Quibusdam locis poetae umbras per somnia ascendentes faciunt, ubi noctis tenebris formido atque horror dormientium augentur. Patrocli simulacrum in has imagines magnam vim habuisse quis est, quin videat?

a) Apud Graecorum poetas epicos Apollonio excepto umbrae omnibus locis noctu et per somnia fiunt, apud Romanos quoque pleraeque larvae in somniis conspiciuntur: Patrocli (Ψ 57 sqq.), Homeri (Enn. Annal. I frgm. 4 sqq.), Aeneae (I frgm. 28), Sychaei (Verg. Aen. I 353 sqq.), Hectoris (II 268 sqq.), Anchisae (IV 351 sqq. et V 721 sqq.), Cassandrae (V 636 sqq.), Fauni (VII 81 sqq.), Iuliae (Lucan. III 8 sqq.), fratrum animarum (VII 775), Hasdrubalis (Sil. III 139), Romanorum ad Trebiam occisorum (V 127 sqq.), Gallorum (VIII 642)[1], Scipionis patris (XV 180 sqq.), Flaminii Romanorumque (XVII 159 sqq.), Phrixi (Val. Flacc. I 47 sqq. et V 231 sqq.), Hylae (IV 22 sqq.), a Rufino necatorum (Claud. in Ruf. II 324 sqq.), Theodosiorum minoris et maioris (de bello Gild. 225 sqq. et 325 sqq.), Achillis (Q. Smyrn. XIV 179 sqq.), Actaeonis (Nonn. V 412 sqq.), Hymni (XVI 292 sqq.), Icarii (XLVII 148 sqq.), Ariadnae (XLVIII 530 sqq.).

b) In Graecorum et Romanorum tragoediis: Darei (Aeschyl. Pers. v. 197 sqq.), Oedipi (Soph. Electr. 417 sqq.) Agamemnonis (Soph. Electr. v. 417 sqq.), Patrocli (Enn. Hect. Lutr.?), Deiphili (Pacuv. Ilion. frgm. IV), Icarii (Q. Tull. Cic. Erig.?), Hectoris (Sen. Troad. v. 438 sqq.), Britannici

---

[1]) **Ubi versus exstat:**

*ludificante etiam terroris imagine somnos.*

(Octav. v. 115 sqq.); in comoedia: hospitis necati (Plaut. Most. v. 490 sqq.). Quae somnii species praeter Deiphili umbram semper narrantur.

### 4. Quae umbrae sua aut aliorum causa occurrant.

Spectra sua an aliorum causa in conspectum veniant, nunc quaerendum est. Nonnullis locis, quos significavi, umbrae ob utramque causam apparent.

a) Primo sequuntur exempla sua causa apparentium; hic ordinem chronologicum sequor: Patrocli (Ψ 65 sqq.), Achillis in Nostis, Clytaemestrae (Aesch. Eumen. v. 94 sqq.), Achillis (in Soph. Polyx.), Agamemnonis (Electr. v. 417 sqq.), Polydori (Eurip. Hec. v. 1 sqq. = Enn. Hec. frgm. 1), Cresphontis (in Eurip. Cresph.), Stheneli (Ap. Rh. II 911 sqq.), hospitis necati (Plaut. Most. v. 490 sqq.), Patrocli (Enn. Hect. Lutr.?), Deiphili* (Pacuv. Ilion. frgm. 4), Achillis (Accii Troad.), Icarii* (Q. Tull. Cic. Erig.?), Sychaei* (Verg. Aen. I 353 sqq.), Polydori (III 37 sqq.), Achillis (Sen. Troad. v. 168 sqq.), Cassandrae affinium (Agam. v. 754 sqq.), Absyrti (Med. v. 963 sqq.), Agrippinae (Octav. v. 593 sqq.), Iuliae* (Lucan. III 8 sqq.), manium necatorum (VII 178 et 775), Crassi (VIII 431 sqq.), Phrixi (Val. Flacc. I 47 sqq.), ab Amyco necatorum (IV 258 sq.), Stheneli (V 82 sqq.), Hasdrubalis (Sil. III 139 sqq.), Romanorum ad Trebiam occisorum (V 127), Lemniorum (Stat. Theb. V 312), Amphiarai* (X 202 sqq.), manium Ogygiorum (XI 420), Achillis (Q. Smyrn. XIV 179 sqq.), Actaeonis (Nonn. V 412 sqq.), Hymni (XVI 292 sqq.), Icarii (XLVII 148 sqq.), Ariadnae (XLVIII 530 sqq.).

Inter eos, qui sua causa evadunt, manes principem locum obtinent ii, qui ultionem poscunt, deinde qui sepulturam vel, ut Achilles, inferias flagitant, tum qui mortem suam nesciis indicant, quod praecipue a tragoediarum personis prologum enarrantibus fit, tum qui terrent, mala omina praedicunt, opprobria faciunt.

b) Multis deinde locis aliorum causa animae advolant, quarum exempla sunt: Dareus (Aeschyl. Pers. v. 681 sqq.),

Oedipus (Sept. v. 709 sqq.), Agamemnon (Eurip. Orest. v. 617 sqq.), Protesilaus (in Protesil.), Homerus (Enn. annal. I frgm. 4 sqq.), Aeneas (annal. I frgm. 28), Deiphilus* (Pacuv. Ilion. frgm. 4), Achilles* (Accii Neopt.), Amphiaraus (in Epigonis), Sychaeus* (Verg. Aen. I 353 sqq.), Hector (II 268 sqq.), Creusa (II 771 sqq.), Faunus (VII 81 sqq.), Hector (Sen. Troad. v. 438 sqq.), Laius (Oedip. v. 530 [619] sqq.), Thyestes (Agam. v. 1 sqq.), Tantalus (Thyest. v. 1 sqq.), Agrippina* (Oct. v. 593 sqq.), Iulia* (Lucan. III 8 sqq.), Cretheus (Val. Flacc. I 730 sqq.), Hylas (IV 22 sqq.), Phrixus (V 231 sqq.), Galli (Sil. VIII 642), Paulus (XII 234), Scipionis pater (XV 180 sqq.), Flaminius Romanique necati (XVII 159 sqq.), Laius (Stat. Theb. II 7 sqq)., Amphiaraus* (X 202 sqq.), a Rufino occisi (Claud. in Ruf. II 324 sqq.), Theodosii minor et maior (Claud. de bello Gild. 225 sqq. et 325 sqq.), Actaeon* (Nonn. V 412 sqq.), Icarius* (XLVII 148 sqq.).

Inter eas umbras, quae, ut alios adiuvent, apparent, primum ordinem tenent heroes, deinde nocentes, suadentes, adhortantes sequuntur, tum vaticinantes, tum mortem suam indicantes; Protesilai larva, ut colloquatur, apparet.

In eo numero habendi sunt ei quoque manes, qui evocati sunt.

## 5. Quae larvae vigilantibus occurrant.

Hoc loco eas umbras colligere mihi proposui, quae non in somniis fiunt, sed vigilantibus apparent, quam ascensus rationem nos visiones nominamus. Quo in numero necyomanteae habendae sunt, ubi vigilantibus semper plerumque die non noctu — Lucano (VI 419 sqq.) excepto — excitati vel evocati manes apparent: apud Homerum (λ), Aechylum (Pers. v. 598 sqq.) Senecam (Oedip. v. 530 sqq.), Valerium Flaccum (I 730 sqq.), Silium (XIII 349 sqq.), Statium (Theb. IV 406 sqq.); Claudianus (in Ruf. I 123 sqq.) locum, quo Ulixes populum silentem movisse dicitur, describit. Ceterae larvae nonnumquam iis occurrunt, qui summo terrore vel

timore et magno animi motu affecti et solliciti anxiique sunt; quae visa non re vera facta sunt, sed perturbati atque conflicti homines ea animis concipiunt et fingunt, velut Andromacha, ubi Ulixes Astyanactem in Hectoris tumulo abditum evulsurus est, summo timore impleta se Hectorem aspicere putat (Sen. Troad. v. 681 sqq.) et Medea filios suos mactatura fratris umbram advenientem videt (Med. v. 963 sqq.); Pediano Poenum quendam Pauli spolia ferentem persequenti Pauli umbram ante oculos stare videtur (Sil. XII 234 sqq.); Creusa (Verg. Aen. II 771 sqq.), Anchises (V 721 sqq.), Hector (Sen. Troad. v. 438 sqq.), Phrixus (Val. Flacc. V 231 sqq.), Amphiaraus (Stat. Theb. X 202 sqq.), Theodosius minor (Claud. de bello Gild. 235 sqq.) in conspectum venire videntur, ut suadeant vel iubeant; ut aspiciant aliquid, apparent Sthenelus (Apoll. Rhod. II 911 sqq. = Val. Flacc. V 82 sqq.), ab Amyco necati manes (Val. Flacc. IV 257 sqq.), manes Ogygii (Stat. Theb. XI 420 sqq.). Vagantes larvae, ut est consentaneum, vigilantibus apparent, velut Argi umbra (Aeschyl. Prom. v. 566 sqq.), Marii et Sullae animae (Lucan. I 580 sqq.), patrum et affinium (VII 179 sqq.), Crassi umbra (VIII 431 sqq.), manes in terrae motu ascendentes (Sil V 615 sqq.), Aem. Pauli (Sil. XI 346 et XII 234), maritorum Lemniorum (Stat. Theb. V 312), pervagantes manes (Claud. in Ruf. I 123 sqq.).

Quorum omnium ascensuum multo plures die[1]) fiunt, perpauci noctu, quos affero: Creusae (Verg. Aen. II 771 sqq.), Anchisae (V 721 sqq.), Phrixi (Val. Flacc. V 231 sqq.), Amphiarai (Stat. Theb. X 202 sqq.), Theodosiorum minoris et maioris (Claud. de bello Gild. 225 sqq. et 325 sqq.). Sub solis ortu manes apparent (Verg. Aen. VI 255), ut apud Silium intempesta nocte (XIII 406 et 413 sqq.).

---

[1]) Cf. Ettigium l. l. p. 383 not. 3.

# Excursus I.

## De necyiis et evocationibus.

Ad Homerum necyiae[1]) omnes posteriorum poetarum scriptorumque referendae sunt, ut supra[2]) diximus, quas cum multi homines docti[3]) tractaverint, brevissime tangam.

In Nostis Agamemnonis necyiam fuisse supra[4]) commemoraviums.

Omnibus fere locis ii, qui evocationem facere volunt, vel prodigiis vel somniis perterriti sunt vel ante rem magni momenti futura praenoscere cupiunt, velut iam Saulus, qui Palaestinorum impetum timens nullis aut somniis aut ominibus a deo missis antea de exitu edoctus Samuelem excitare constituit (Sam. I 28). Atossa somnio sollicita Dareum (Aeschyl. Pers. v. 598 sqq.) excitat, Tiresias suadet, ut Laius eliciatur, cum neque haruspicina neque auspicio percontari possit, quis Laium interfecerit (Sen. Oed. v. 530 sqq.). Sext. Pompeius ante pugnam Pharsaliam *stimulante metu fati praenoscere cursus* necromanteam facit (Lucan. VI 423 sqq.), Alcimede *tanto super anxia nato*

*siquid ab excitis melius praenosceret umbris*

Cretheum evocavit (Val. Flacc. I 730 sqq.), Scipio, cui

*versatur species ante ora oculosque parentum,*
*ergo excire parat manes animasque suorum*
*alloquioque virum tantos mulcere dolores*

---

[1]) Cf. supra p. 7.

[2]) P. 8.

[3]) Liedloffius l. l., Ettigius l. l., Nordenus l. l., Fahzius l. l., Braunius l. l.

[4]) P. 9 not. 1.

(Sil. XIII 393 sqq ), Eteocles per Tiresiam Laium excitat *trepidus monstro et variis terroribus impar* (Stat. Theb. IV 406 sqq.). Pausanias Cleonicam, quam temere necaverat, in somniis vexatus evocat (Plut. Cim. 6). Nero *saepe confessus est exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac taedis ardentibus. Quin et facto per magos sacro evocare manes et exorare tentavit*, ut narrat Suetonius (Ner. 34). Caracalla affinium umbris perterritus eos necromantea consulit (Dio Cass. LXXVIII 15).

Nunc ad evocationes ipsas aggrediamur!

De Homeri et Nostorum poetae necyia supra[1]) scripsi.

Darei evocatio[2]) (Aeschyl. Pers. v. 598 sqq.) Homeri exempli similis est, nam Atossa lac, mel, aquam, vinum, flores (v. 611 sqq.) sacrificari iubet et chorum, ut cantu Dareum eliciat, adhortatur quo Pluto, Mercurius aliique inferorum dei implorantur. De fabulae quae Ψυχαγωγοί inscribitur evocatione nihil constat.

Periander in necromanteae oraculo ad Avernum flumen Melissam uxorem consulit, ut sibi depositum monstret (Herod. V 92, 17).

Protesilaus[3]) (in Eurip. Protes.) ab uxore ex inferis evocatur, ut Welcker censet[4]); ipsum deos, ut sibi liceret redire, orasse Baehrensii[4]) sententia est.

Achillem in Accii Troadibus evocatum esse minime certum puto[5]); in Epigonis Amphiaraus a fratribus advocatus videtur esse.

Horatius (sat. I 8, 23 sqq.) incantationem eiusque praeparationes describit: maga pedibus nudis passoque capillo atque atra veste indutus terram unguibus scalpit et agnam divellit, cruor manat in fossam, Hecata et Tisiphone vocantur.

---

[1]) Cf. p. 7 et 9 not. 1.
[2]) Cf. supra p. 10 sqq.
[3]) Cf. supra p. 18.
[4]) Cf. supra p. 18 not. 4.
[5]) Cf. supra p. 26 not. 1.

Late narrat Creo (Sen. Oed. v. 530 sqq.) Laii evocationem, quae in luco sacro[1]) effosa tellure nigrisque bidentibus ac bubus mactatis sanguine in fossas effuso, carminibus magicis cantatis fit. Hercules (Herc. Oet. v. 1940 sqq.) matris neniis precibusque vocatus apparet. —

Lucanus (VI 413 sqq.) accuratissimam evocationis descriptionem exhibet; ut Fahzius[2]) ait: *Lucanus omnes poetas, qui vel antea vel postea magicas res descripserunt, rerum magicarum doctrina valde superavit.* Sextus, Pompei filius, magam Thessalam adit, ut futura sibi praedicat. Saga ei respondet se hominem modo defunctum ad vitam revocaturam et de rebus futuris consulturam esse. Quam evocationem poeta atris coloribus describit.

Valerius Flaccus[3]) parvam necromanteam (I 730 sqq.) fingit, in qua ut apud Homerum *in scrobibus cruor stagnat* et cantibus *atavi* implorantur.

Apud Silium (XIII 395 sqq.), qui in Scipionis necyia Homeri magis quam Vergilii exemplum imitatur[4]), omnia, quae apud Homerum in sacris usurpari solent, invenimus: nigras pecudes et cruorem (v. 405 sqq.) et mella et *puri dona Lyaei* (v. 416).

Eteocles (Stat. Theb. IV 406 sqq.)[5]) prodigiis perturbatus Tiresiam consulit, qui ea, quae ad sacrificandum et evocandum opus sunt, praeparat (v. 443 sqq.):

> *velleris obscuri pecudes armentaque sisti*
> *atra monet,*

vinum et lac libantur, cruor manat (v. 452 sqq.), Hecata advocatur, Plutoni et Cereri arae instruuntur (v. 455 sqq.); Manto, Tiresiae filia, omnia, quae videt, describit. Laius

---

[1]) Poetae aetatis imperatorum Romani cum omnes evocationis praeparationes accuratissime describebant tum lucum sacrum, in quo evocatio fiebat, depingebant.

[2]) L. l. p. 148.

[3]) Cf. supra p. 54.

[4]) Cf. Nordenum l. l. p. 348 not. 2.

[5]) Vide Helmium quoque (de Statii Thebaide p. 33 sqq.), qui Statium Homeri, Vergilii, Senecae vestigia pressisse demonstrat.

bellum Thebanorumque victoriam praenuntiat, de nepotum autem morte tacet.

Pausanias Cleonicam ex inferis elicit et, ut sibi irasci desinat, orat (Plut. Cim. 6).

Nero matris umbram ex inferis citat (Suet. Ner. 34).

Videndi cupiditate captus Apio magus Homerum elicit, ut percontetur, quanam patria quibusque parentibus genitus sit (Plin. n. h. XXX 2, 18).

Accuratius Lucianus (Philops. 14) necromanteam describit, qua, cum luna plena est, fossa ducitur a mago quodam et Glauciae pater cogitur; is primo indignans denique placatus filii uxorem ducturi amorem probat.

Caracalla cum morbo tum patris fratrisque spectris vexatus patris aliorumque umbras ex Tartaro excitat, ut sib medeantur neque vero quisquam nisi Commodus eum alloquitur (Dio Cass. LXXVIII 15).

Eundem imperatorem Materno cuidam mandavisse, ut manium consultatione de vitae exitu sciscitaretur et, numquis regnum appeteret, quaereret, Herodianus (IV 12,4) memoriae prodidit.

Homerus Ulixem evocavisse dicitur (Phil. Heroic. tom. II ed. Kays. p. 195) atque, quid ad Troiam gessisset, interrogavisse; Ulixem autem ea condicione narravisse, ut ab Homero in carminibus suis celebraretur [1]).

Commemoratur apud Claudianum locus, quo Ulixes fertur

*sanguine libato populum movisse silentem*

(in Ruf. I 123 sqq.)[2]).

De evocatione quae est in Cratini Chironibus et Eupolidis Demis vide p. 19 et excursum tertium.

Nonnullis locis ii quoque significantur, qui manes excitare possunt, ut Appius, Ciceronis amicus (Cic. Tusc. I 16,37), saga quaedam, de qua loquitur Tibullus (I 2,43 sqq.) haec:

---

[1]) De Ulixis in Epiro necromantea loquitur Cassandra in Lycophronis Alexandra (v. 799).

[2]) Cf. supra p. 72.

*hanc ego de caelo ducentem sidera vidi*
*fluminis haec rapidi carmine vertit iter,*
*haec cantu finditque solum manesque sepulcris*
*elicit et tepido devocat ossa rogo:*
*iam tenet infernas magico stridore catervas,*
*iam iubet aspersas lacte referre pedem.*

Manes evocare possunt ψυχαγωγοί in Thessalia, quos arcessiverunt Lacedaemonii ad Pausaniae larvam mitigandam (Plut. quaest. Hom. § 1); idem scriptor alio loco (de sera numinis vindicta 17) eandem narrationem exhibet, in qua ψυχαγωγοί ex Italia advocati sunt.

Sententias inter se similes exhibent illi loci, quibus de sacerdote quodam vel saga loquuntur poetae, qui Claudiano excepto eadem aetate fuerunt: Dido (Verg. Aen. IV 487), sacerdotem consulit, quae

*. . . se carminibus promittit solvere mentes*
*quas velit ast aliis duras immittere curas*
*sistere aquam fluviis et vertere sidera retro*
*nocturnosque movet manes: mugire videbis*
*sub pedibus terram et descendere montibus ornos.*

Medea de se ipsa loquitur (Ovid. met. VII 205 sqq.):

*et silvas moveo iubeoque tremescere montes*
*et mugire solum manesque exire sepulcris.*
*Te quoque, Luna, traho . . .;*

simili modo Canidia (Hor. epod. XVII 77 sqq.) loquitur:

*. . . et polo*
*deripere lunam vocibus possim meis*
*possim crematos excitare mortuos.*

Claudianus hos poetas imitans (in Ruf. I 154 sqq.) Alectonem de se ipsa dicentem facit:

*saepius horrendos manes sacrisque litavi*
*nocturnis Hecaten et condita funera traxi*
*carminibus victura meis multosque canendo.*

# Excursus II.

Manes ascendere alios consolandi causa iam supra[1]) (Sen. Herc. Oet. v. 1940 sqq. et Val. Flacc. IV 22 sqq.) vidimus. Huic animarum consolantium generi adnectam rationem umbras, ut redeant, orandi, quam imprimis in Statii carminibus, quae consolationes vel ἐπικήδεια nominantur, reperimus.

Iam Euripides in Alcestide (v. 354 sqq.) hanc sententiam profert[2]); Admetus loquitur de Alcestide:

ἐν δ'ὀνείρασι
φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν· ἡδὺ γὰρ φίλους
κἀν νυκτὶ λεύσσειν, ὅντιν' ἂν παρῇ χρόνον.

Eandem sententiam invenimus apud Propertium (IV 11, 81 sq.) in regina elegiarum, in qua Cornelia mortua Paullum maritum consolatur dicens:

*Sat tibi sint noctes, qua de me, Paulle, fatiges,*
*somniaque in faciem credita saepe meam.*

In consolationis ad Liviam fine mortuus a poeta elicitur, qui res a se gestas enumerans matrem consolatur et, ut flere desinat, orat (445 sqq.).

In Statii Silv. II 1,227 sqq. a Glaucia poeta lamentans pulchrum puerum petit verbis:

. . . *ades huc emissus ab atro*
*limite, cui soli cuncta impetrare facultas,*
*Glaucia: (nam insontes animas nec portitor arcet*

---

[1]) P. 44 et p. 55.
[2]) Cf. supra p. 19.

*nec dirae comes ille ferae) tu pectora mulce,*
*tu prohibe manare genas; noctesque beatas*
*dulcibus alloquiis et vivis vultibus imple:*
*te periisse nega desolatamque sororem,*
*qui potes et miseros perge insinuare parentes.*

In consolatione ad Flavium Ursum (II 6,93 sqq.) Statius Flavium consolatur Philetonem nunc in Elysio versari dicens *alium* inquit *puerum*
*forsan et ipse dabit; moresque habitusque decoros*
*monstrabit gaudens similemque docebit amorem.*

In Lucani die natali (II 7, 120) Statius poetam, ut hoc die appareat, orat his verbis:
*adsis lucidus et vocante Polla*
*unum quaeso diem deos silentum*
*exores: solet hoc patere limen*
*ad nuptas redeuntibus maritis.*

In consolatione ad Claudium Etruscum (III 3, 204) Etrusci patrem semper celebratum iri a filio Statius dicit, ut ille tamen appareat, poscit monituraque somnia postulat; similiter poeta a patre suo petit (V 3, 288 sqq.):
*inde tamen venias melior, qua porta malignum*
*cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra*
*quae solitus.*

Has sententias ex rhetorum schola fluxisse demonstrant Vollmer [1]) et Skutschius [2]).

---

[1]) Commentar zu Statius Silven Lpz. 1898 p. 372.
[2]) Pauly-Wissowa s. v. Consolatio ad Liviam IV 939 sq.

## Excursus III.

Eupolidis Demorum fragmenta nuper inventa atque edita [1]) accuratius tractanda huic excursui reservavi. Qua in comoedia Solonem, Miltiadem, Aristidem, Periclem ex inferis prodiisse in scaenam, ut prudentibus consiliis cives adiuvarent, scimus [2]). In fol. I v 13 (ed. Koertius) persona quaedam apparet, quae Athenas ac solum patrium salutat; hanc Aristidem esse Koertius l. l. p. 302 censet. Ex. fol. II v umbras sollemniter sedere unamque cum persona quadam colloqui videmus. Commemoratur in fol. II r 15 Myronides, qui umbras e Tartaro eduxit [3]). Ex Myronidis responso (II v 5 sqq.) eum brevi ante mortuum esse comperimus; eius igitur umbra [4]) in scaenam prodiit. In versibus 1 sqq. (fol. II r), — qui ex Athen. III 123 = frgm. 108 K. restitui possunt — Myronides vel alia umbra de sacrificio epulari loquitur, quod ad boves in evocatione mactatos referri potest [5]).

---

[1]) Catalogue général des antiquités égyptiennes du musée du Caire No. 43227. Papyrus de Ménandre par M. Gustave Lefebvre, Le Caire 1911. van Leeuwenus Mnemos. XL p. 129 sqq. et 202 sqq. A. Koertius Herm. XLVII p. 276 sqq.

[2]) Cf. supra p. 19.

[3]) Thiemius Quaestionum comicarum ad Periclem pertinentium cap. III. Lips. 1908 p. 56 de Myronide, qui larvas arcessivit, disserit; Koertius (l. l. p. 303) et Keilius (Nachr. d. Gött. Ges. d. Wissensch. Phil.-hist. Klasse 1912 3. Heft p. 239) idem demonstrant.

[4]) Quod iam Wilamowitzius Aristot. und Athen I p. 179 not 84 et Thiemius l. l. p. 58 putabant et Keilius l. l. p. 241 sq. affirmat.

[5]) Quod Koertius (l. l. p. 304) putat.

Ex fol. II r 6, quo Solon commemoratur, Koertius Solonem [1]) in scaenam prodiisse censet [2]).

Cum prius nihil certi de fabulae actione eruere possemus, quis umbras elicuisset, quomodo apparuissent, quot ascendissent, actione fuisset apud inferos an superos nesciremus, nunc a Keilio l. l. p. 237 sqq. certiora didicimus, qui haec fere eruit: fabulae locus ante parabasin fuit in Tartaro, ubi Myronides brevi ante mortuus Atheniensium umbris, qua misera condicione civitas esset, narravit. Qua de causa Solonem, Miltiadem, Aristidem, Periclem sortiebantur, qui ad superos irent. Post parabasin per Myronidem in scaenam producti in foro consederunt consiliaque rei publicae adiuvandae dederunt.

---

[1]) Quae personae ex inferis ascenderint, Thiemius l. l. p. 48 sqq. disserit; de Miltiade, Aristide, Pericle omnes viri docti consentiunt; quartum autem Gelonem esse Thiemius putat.

[2]) Ex hoc versu Keilius (l. l. p. 245 sq.) umbras deinceps productas collocutas esse opinatur.

# Vita.

Natus sum *Hubertus Mende* pridie Kal. Sept. anni 1888 Ratiborii patre *Francisco*, qui praematura morte mihi ereptus est, matre *Sofia* e gente Mann. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium Regis Guilelmi Vratislaviense adii. Vere anni 1908 maturitatis testimonium adeptus studiis philologicis et historiae artium me dedidi primo per quattuor semestria in universitate litterarum Vratislaviensi, deinde in universitate Friburgensi Brisgoviensi aestate anni 1910, postremo ab autumno eiusdem anni per duos annos iterum in nostra alma matre.

Docuerunt me hi viri doctissimi

Vratislavienses: *Arnold*, *Baumgartner*, *Cichorius*, *Foerster*, *Gercke*, *v. Hase*, *Hoenigswald*, *Hoennicke*, *O. Hoffmann*, *Kaufmann*, *Kautzsch*, *Muther* †, *Preuss*, *Scheer*, *Seger*, *Skutsch* †, *Stern*, *Wendland*, *v. Wenckstern*, *Ziegler*.

Friburgenses: *Aly*, *E. Schwartz*, *Thiersch*, *Thurneysen*.

Proseminarii philologici Vratislaviensis et Friburgensis sodalis fui. Sexto semestri mihi contigit, ut in seminarium philologicum Vratislaviense reciperer, cuius ex exercitationibus a viris clarissimis *Foerstero*, *Gerckio*, *Skutschio* † institutis per tria semestria magnam cepi utilitatem. Ad exercitationes seminarii archaeologici *Foerster*, *Thiersch*, historici *Cichorius*, *Preuss*, philosophici *Baumgartner*, psychologici *Stern*, ad societatem Graecam *Gercke* benigne me admiserunt.

In hac commentatione elaboranda *Skutsch*, qui mihi, postquam in studia philologica incubui, semper fuit dux benevolentissimus, per biennium summa cum liberalitate et humanitate usque ad extremum vitae tempus me adiuvit. *Foerster* patrono adversa fortuna orbato mihi benigne fautor fuit adiutorque.

*Skutschio* gratiam summam atque aeternam habebo. Ceteris viris clarissimis, qui me docuerunt, gratias ago maximas, imprimis *Gerckio*, *Foerstero*, *Cichorio*, qui magna cum benignitate semper mihi favit.